John Adams
Library,

IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.

SHELF Nº
ADAMS
63.9
v.4

John Adams

THE MISCELLANEOUS WORKS

Of the late Reverend and Learned

CONYERS MIDDLETON, D.D.

Princ[illegible]ian of the Univerſity of *Cambridge*.

Containing all his

WRITINGS,

Except the LIFE of *CICERO:*

Many of which were never before Published.

VOL. IV.

LONDON,
Printed for Richard Manby on *Ludgate-hill,*
and H. S. Cox in *Pater-noſter Row.*
M.DCC.LII.

7717

5

* *
ADAMS
53.9
v.4

THE

CONTENTS

Of the Fourth VOLUME.

I. *GErmana quædam Antiquitatis eruditæ Monumenta quibus Romanorum veterum Ritus varii tam Sacri quam Profani, tum Græcorum atque Ægyptiorum nonnulli illuſtrantur, Romæ ol[illegible]ma ex parte collecta, ac Diſſertationibus jam ſingulis [illegible] His Appendicis item Loco adjuncta eſt Mumiæ Cantabrigien[illegible]ſcriptio.*

II. *De Medicorum aqud Veteres Romanos degentium Conditione Diſſertatio; contra Viros Celeberrimos Jac. Sponium & Rich. Meadium, M. D. D. Servilem atque ignobilem eam fuiſſe oſtenditur.*

III. *Diſſertationis de Medicorum Romæ Degentium conditione ignobili & ſervili, contra Anonymos quoſdam Notarum brevium, Reſponſionis, atque animadverſionis Auctores, Defenſio.*

IV. *The Epiſtles of M. T. Cicero to M. Brutus, and of Brutus to Cicero: with the Latin Text on tae oppoſite page, and Engliſh Notes to each Epiſtle, together with a prefatory Diſſertation, in which the authority of the ſaid Epiſtles is vindicated, and all the Objections of the Rev. Mr. Tunſtall particulaly conſidered and confuted.*

John Adams

Germana quædam ANTIQUITATIS eruditæ

MONUMENTA

QUIBUS

Romanorum veterum Ritus varii

Tam Sacri quam Proſani,

Tam Græcorum atque Ægyptiorum nonnulli

ILLUSTRANTUR,

Romæ olim maxima ex parte collecta,

Ac DISSERTATIONIBUS jam ſingulis inſtructa,

A *CONYERS MIDDLETON*, S. T. P.

Academiæ Cantabrigienſis Protobibliothecario.

His Appendicis item Loco adjuncta eſt MUMIÆ CANTABRIGIENSIS Deſcriptio.

> *Quis autem eſt, quem non moveat clariſſimis Monumentis teſtata, conſignataque Antiquitas?*
> Cic. de Divin. l. 1. 40.

ALMAE MATRI

ACADEMIAE CANTABRIGIENSI

ARTIVM OPTIMARVM ALTRICI

VIRTVTVM OMNIVM FAVTRICI

CVI

QVOSCVNQVE IN LITTERARVM STVDIIS

VEL PROGRESSVS FECERIT VEL PRAEMIA

ACCEPERIT SE PENITVS DEBERE PROFITETVR

CONYERS MIDDLETON

HOC OPVSCVLVM OTII ALIQVANDO SVI

OBLECTAMENTVM NEC IVVENTVTI

FORTASSE ACADEMICAE IAM INVTILE

FVTVRVM

IN PERPETVVM OBSERVANTIAE SVAE

AC GRATI ANIMI TESTIMONIVM

LIBENS MERITO

D. D. D.

PRÆFATIO.

CUM valetudinis olim confirmandæ cauſa, cœlum mutare, et litterarum ſtudiis aliquandiu depoſitis, peregre proficiſci decreviſſem, tum ad Italiam illico iter tendere, ac Romæ urbium amœniſſimæ otiari, mihi ante omnia placuit. Ut ad illam autem acceſſi, loci admonitu incitatus, ſplendoriſque ejus priſci memoriam recolens, non tam ad novæ urbis ornamenta, magnifica ea quidem et ſuperba, quam ad antiquæ veſtigia et monumenta perquirenda, memet contuli: quæ quidem omnia, etiamſi ab aliis deſcripta magnam ſæpe voluptatem legenti antea dediſſent, at oculis tamen ſubjecta, majorem mihi longe, res ipſas jam contemplanti, præbere ſenſi.

In hac igitur antiquitatis contemplatione pæne defixus, paucula ſtatim quædam, ex urbis ruderibus effoſſa, artium veterum ſpecimina, rituumque veterum inſtrumenta coemere cœpi: atque ab his initiis, ſarcinulam paullatim quandam, qua in Angliam tandem inſtructus redirem, colligere ſtatui: in qua tamen colligenda, non illud mihi propoſitum erat, ut ea ſolummodo, quæ materia aut opere præſtarent, ſed quæ eruditionem, ut aiunt, aliquam continerent, ritumve aliquem illuſtrarent, ad Bibliothecæ quaſi meæ ornatum, compararem.

Etenim hoc peregrinantibus fere commune eſſe ſcimus, quæcunque in exteris terris rariora, aut regionis alicujus propria ſint, ea potiſſimum conquirere, domumque deportare; ut eorum deinde conſpectu, locorum quos peragraverint memoriam revocare, atque itineris præteriti voluptatem quodammodo redintegrare poſſint. At vero ex omnibus Orbis terræ regionibus, ager certe Romanus res iſtiuſmodi pretioſiſſimas, et litteratorum præcipue ingeniis accommodatiſſimas edit. Quippe aliæ terræ marmora, aurum, gemmaſve fortaſſe, ſed rudes tantum pariunt; hæc autem marmora in varias formas exquiſite ficta, aurum eximio opere cœlatum, gemmas ſummo artificio ſculptas, ex ſeſe fundit: quorum ipſe ſingulorum exempla ſane haud pauca, dum in iis locis commorabar, ex ea effoſſa vidi.

Ex his autem agri Romani divitiis, neminem profecto de peregrinatoribus noſtris, theſaurum inde deportaſſe credo, et rerum delectu et pretio magis æſtimabilem, ac quem amicus meus nobilis, Horatius Walpole in Angliam nuper advexit; Juvenis, non tam generis nobilitate, ac paterni nominis gloria, quam ingenio, doctrina, et virtute propria illuſtris. Ille vero haud citius fere in patriam reverſus eſt, quam de ſtudiis meis, ut conſuerat, familiariter per litteras quærens, mihi ultro de copia ſua, quicquid ad argumenti mei rationem, aut libelli ornamentum pertineret, pro arbitrio meo utendum obtulit. Quam quidem ejus liberalitatem libenter admodum amplexus eſſem, ni operis hujus, jam prope abſoluti, faſtidio quodam correptus, atque ad alia feſtinans, intra terminos ei ab initio deſtinatos, illud continere ſtatuiſſem: attamen præclaram iſtam Muſei Walpoliani ſupellectilem, ab interprete aliquo peritiore propediem explicandam, edendamque eſſe confido.

Sed

Sed ut ad propoſitum revertar. Meæ iſti, quam modo dixi, emendi cupiditati, facultatum mearum tenuitas modum impoſuit, nec ultra hanc rerum congeriem, quam in his Tabellis expoſitam videmus, eam provehi paſſa eſt: quæ, cum multos jam annos in armariis meis cuſtodita, otium ſæpe meum oblectaſſet, ſermoniſque cum familiaribus meis haud injucundi argumentum præbuiſſet, in lucem demum idcirco emiſſa eſt, ut quos mihi unquam vel delectationis, vel utilitatis fructus attuliſſet, eoſdem item ceteris, qui hæc ſtudia perſequuntur, impertire poſſet. In ea enim nonnulla reperiemus, quæ ob raritatem atque operis etiam excellentiam, vel inter præſtantiſſima ex hoc genere Antiquitatis monumenta numerari queant: de reliquis autem, ſi quæpiam contra, vulgaria nimis, atque hac tanta diſſerendi pompa vix digna videantur, at ritum ea tamen, ut dixi, moremve aliquem, non ab aliis fortaſſe memoratum, aut clare ſatis explicatum, plerumque illuſtrant. Atque illud etiam animadvertendum eſt, hujuſmodi videlicet opera, non peritis modo et intelligentibus, ſed ſtudioſis communiter omnibus et diſcendi cupidis proponi; atque ad omnium ideo ingenium accommodari ſolere; ita ut quæ peritioribus fortaſſe tædium faſtidiumque creent, eadem tamen aliis, in hoc genere minus exercitatis, eruditionis ac ſcientiæ acceſſionem aliquam afferant. Iſtud vero utcunque fuerit, hoc ſaltem dicere licet, hunc omnem, qualiſcunque eſt, rerum antiquarum apparatum, non quo ſcribendi occaſionem arriperem, aut eruditionem meam oſtentarem, ex aliorum Muſeis deſumptum, ſed meo opere ac ſumptu conquiſitum eſſe; neque uſum ejus meliorem me quidem excogitare potuiſſe, quam ut accurate deſcriptum, ac diſſertationibus hiſce inſtructum, in publicum proponerem.

Ad hanc vero rerum mearum editionem, Mumiam item Cantabrigienſem, appendicis loco adjungere libuit, quoniam et mihi ea præcipue in cuſtodiam tradita eſt, et nihil Academiæ ipſi me gratius facere poſſe cognovi, quam ut, quodcunque in theſauris ſuis lateat, quod litterarum ſtudia accendere, litteratoſve erudire aut delectare poſſit, illud pariter in commune omnium beneficium pervulgarem.

Sin autem reperti aliqui erunt, qui hoc omne litterarum genus, tanquam leve prorſus, atque homine gravi ac ſene præſertim indignum aſpernentur; ego tamen multorum et graviſſimorum virorum exemplis memet defendere potero, qui vitam fere in his ipſis ſtudiis conſumpſerunt. At iſtiuſmodi reprehenſores meminerint, velim, quantum in juventute noſtra inſtituenda, litteriſque humanioribus imbuenda, hæc una rerum antiquarum cognitio locum obtineat, quantamque vim habeat: hoc enim ſi ſecum reputare volent, tum profecto, quicquid ad cognitionem eam illuſtrandam auxilii aliquid afferat, illud fructus non contemnendos editurum eſſe, intelligent. Neque provectioris ætatis hominibus aut injucundum, opinor, aut inutile foret, fontes eos antiquos interdum repetere, unde primos doctrinæ liberalioris hauſtus duxerint, quibuſque omnem eam, quamcunque teneant, cogitandi, dicendi, ſcribendive elegantiam, acceptam plerumque referre oportet.

Sed ut dicam plane quod ſentio: juniores certe, ad hujuſmodi ſtudia perſequenda, aptiores eſſe fatendum eſt: eoque memet libentius ad hoc opus abſolvendum accinxi, ut eo demum abſoluto, his aliquando litteris valedicerem, atque hæc earum fomenta, ex animo pariter ac manibus emitterem. Etenim ætas mea jam ingraveſcens ad graviora quædam et perſonæ accommodatiora me progredi monet; et quanto minus vitæ mihi reliquum ſit, tanto magis ea meditari, atque ea ſcribere, quæ vitæ futuræ ſpem confirmare, poſſeſſionemque nobis præſtare queant. Ea nimirum, quæ moribus publicis emendandis, et virtuti pietatique propagandæ conducant; quæque religionem potiſſimum Chriſtianam, benevolentiæ, pacis, ac gaudii conciliatricem, ab omni prava mixtura, papiſtica fraude, anili ſuperſtitione, fanatico furore, qualis olim e cœlis deſcenderit, puram ſinceramque conſervent.

TAB.I.



J. Mynde f.

TAB. II.



Ex ære



Ex ære

J. Mynde ſc.

TAB. III.

I



Ex auro

II



e Vitro

III



e Chalcedonio

J. Mynde sc.


e Vitro
J. Mynde sc.

I



II



III



J. Mynde sc.









e Vitro



e Vitro

J. Mynde sc.

TAB. VII.



e Vitro

J. Mynde sc.

I



Ex ære

II



III



VI



IV



V



V



sc.

J. Mynde sc.

TAB. IX.

I



Ex ebore

III



Ex ære

II



Ex ære

J. Mynde f.

TAB. X.



Ex ære

J. Myn c.

TAB. XI.



e Marmore

J. Mynde sc.

TAB. XII.


Ex aere
J. Mynde ſc.

TAB. XIII.

I



Ex ære

III.



Ex ære

II



Ex ære

J. Mynde f.

TAB. XIV.

I



II



III



Caput. ex ære. reliqua e Marmore



Ex ære

J. Mynde ſc.

TAB. XV.



Ex ære

J. Monde ſc.

TAB. XVI.



Ex ære

J. Mynde ſc.

TAB. XVII.

I



Ex ære

II



Ex ære

III



Ex ære

J. Mynde sc.

TAB. XVIII.

I



III



II



IV



V



VI



VII



Ex ære

J. Mynde sc.

TAB. XIX.


I
ROMA
II
S
ROMA
III
ONCE
IV
ROMA
V
ROMA
VI
T
ROMA
VII
ROMA
VIII
IX
Q TITI
X
ROMA
XI
ROMA

Ex ære

J. Mynde sc.

TAB. XX.

I



II





III



V



IV



Ex ære

J. Munde sc.

TAB. XXI.

I



II



III



IV



V



VI



VII



VIII



IX



X



XI



XII



XIII



XIV


QVADORVM TRIVMPHVS

J. Mynde sc.

TAB. XXII.





INDEX.

RERUM quæ in his TABULIS deſcriptæ atque in DISSERTATIONIBUS deinde explicatæ ſunt.

In Tabula I.

Pictura antiqua, ex ſepulchri veteris pariete, Romæ exciſa. Ubi de hiſtoriola in ea expreſſa, et de figurarum veſtitu ac deſcriptione, conjecturæ quædam proferuntur. Tum de picturis iſtiuſmodi, in parietum tectorio repertis, earumque origine ac præſtantia, nonnulla generatim diſſeruntur.

Tab. II.

Figura muliebris, porcellum dextra, atque infantulum ſiniſtra geſtans. Ubi infantulos ad Deorum altaria initiandi, ac nominandi ritus omnes, cum apud Græcos tum Romanos, fuſe ſatis explicantur.

Tab. III.

I. Bulla aurea. Ubi de Bullæ uſu atque origine apud veteres Romanos diſquiritur: eamque neque cordiformem, neque, ut doctorum plerique exiſtimant, a triumphantibus omnino geſtatam, neque nobilibus propriam, ſed ingenuis promiſcue omnibus pro arbitrio permiſſam eſſe, oſtenditur. II. Mulieris atque Infantuli, cui Bulla ex collo dependet, Imagunculæ duæ antiquæ, in vitro pictæ. Ubi de vitri origine ac conditura, ejuſque pingendi artificio; tum de picturæ noſtræ explicatione, et de Trabea præcipue veterum, quam puerulus, et de monili, quod mulier geſtat, diſputatur. III. Anulus Amuleticus, ex lapide Chalcedonio confectus, cui ſitteræ quædam barbaræ inſcriptæ ſunt. Ubi de Amuletis, Gemmiſque potiſſimum Baſilidianis; ac de anulis veterum phyſicis et medicatis, quibus noxia quælibet, et Dæmones præſertim malos, ſe propulſare poſſe credebant, diſſeritur. IV. Rei turpiculæ, figuræ duæ æneæ, non quidem in hanc Tabulam, ſed in diſſertationis marginem conjectæ. Ubi iſtiuſmodi figuras, contra faſcinationes, oculique maligni ictus, infantulorum olim collis ſuſpendi ſolere, demonſtratur.

Tab. IV.

Olla oſſuaria, e vitro confecta, et picturis ornata. Ubi de Ollis iſtiuſmodi vitreis, ad mortuorum oſſa excipienda paratis, ac de noſtra præſertim, quæ oſſium combuſtorum fruſtulis referta erat, agitur.

Tab. V.

Figuræ in fundo, lateribuſque Ollæ depictæ; quæ ritus funebres præcipue indicare videntur. Ubi de mortuis comburendis, oſſibuſque eorum legendis, et condendis, ceteriſque ad ſepulchra pertinentibus, diſputatur.

Tab. VI.

Quatuor vaſcula, lacrymatoria, ut vulgo vocantur. Ubi vaſcula ejuſdemmodi omnia, non quidem ad lacrymas, ut plerique exiſtimant, excipiendas, ſed ad unguenta ſolummodo in tumulos inferenda, a veteribus adhibita fuiſſe, contenditur.

Tab. VII.

Quatuor item vaſcula vitrea, in eundem uſum parata; quibus unguenta ſcilicet, ad mortuorum cineres inſpergendos, in ſepulchris aſſervari ſolerent.

Tab. VIII.

Lucernæ quatuor ſepulchrales. Item, anuli duo aurei; atque inauris etiam muliebris. Ubi lucernarum ſepulchralium uſus, et figurarum in his noſtris expreſſarum ſignificatio inveſtigantur. Deinde de anulis aureis, atque inauribus, ceteriſque defunctorum ornamentis, una cum eorum oſſibus in ſepulchro a propinquis condi ſolitis, quædam dicuntur.

Tab. IX.

I. Libelli veteris ſive Pugillaris, Operculum Eburneum, in ſepulchro antiquo repertum. Ubi pugillarium forma uſuſque, ad notas ſcilicet breves excipiendas, demonſtrantur. II. Tibicinis Utricularii Imaguncula ænea. Ubi de Tibiæ iſtius apud veteres uſu, ac de Ludionum, Morionum, ac Mimorum genere omni, ad convivia ludoſque adhiberi ſolito, diſputatur. III. Pocillatoris, ſeu ſervi ad menſam miniſtrantis Imaguncula. Ubi Romanorum luxus, in ſervorum grege comparando illuſtratur, et Pocillatorum præſertim, ſeu ſervorum Tricliniariorum veſtitus nitidus et delicatulus ex imagine noſtra indicatus eſt. Tum de antiqua e cornibus potandi conſuetudine nonnulla memorantur.

Tab. X.

Ibis Ægyptia. Ubi Avis iſtius natura, cultus, divinique, apud Ægyptios veteres, honores explicantur. Atque hanc noſtram Ibidis effigiem, baſi olim deauratæ impoſitam, ac numinis loco conſecratam, cultamque fuiſſe, oſtenditur.

Tab. XI.

Æſculapii Imago, una cum Teleſphoro adjuncto. Ubi de Dei hujus religione, et quemadmodum Romam primum advecta fuit; item de Ægris in templo ejus cubantibus, et morborum ſuorum remedia, ſomniorum monitu ediſcentibus, diſſeritur. Tum Teleſphori etiam nomen, et qualis ille Deus fuerit, explicatur.

Tab. XII.

Antinoi Imago ænea, baſi perpulchræ inſiſtens. Ubi de Antinoo in Deorum numerum relato, honoribuſque ei ab Hadriano Imperatore conſtitutis; item de baſi Imaginis hujus ſingulari, figuriſque ibi expreſſis, pauca quædam obſervantur.

Tab. XIII.

I. Bacchi Imaguncula ænea. II. Serapidis, Dei Ægyptii. Ubi de cultu ejus, nonniſi ſero Romam traducto, diſſeritur. Deinde, de minutis hiſce Deorum veterum Icunculis, atque infinito fere earum numero hodie extante, quæſtio inſtituitur et explicatur. III. Arula Larum ſeu Deorum Cubicularium perpulchra ex ære. Ubi ejuſmodi Arulas, in privatarum ædium Sacellis ſeu Larariis, ad thuris aut vini paullulum excipiendum paratas, atque ante Deorum imagines poni ſolitas, declaratur.

Tab. XIV.

I. Imago Bacchæ, ſeu fœminæ in Bacchi ſacris initiatæ. Ubi ſacra iſta nocturna, a mulieribus celebrata, deſcribuntur: et cur Bacchantium coronæ ex hedera potiſſimum confectæ eſſent, declaratur. Item de oculis Imagunculæ hujus argenteis mentio facta eſt; atque oculos iſtos conficiendi atque inſerendi artem, ad Opifices quoſdam proprios, a ſculptoribus diverſos pertinuiſſe, declaratur. II. Gladiatoris Imaguncula ænea. Ubi de Gladiatorio pugnandi more pauca quædam dicuntur: atque hanc Imagunculam, a Gladiatore aliquo celebri, ob victoriam partam vel libertatem acceptam, ex voto Deo alicui dicatam fuiſſe, conjectatur. III. Duæ aliæ hominum Icunculæ incognitæ. Quarum una tamen Germanici fortaſſe; altera Etruſci Herois aut Dei effigies eſſe videtur.

Tab. XV.

Patera ænea, uti vulgo vocatur. Ubi vaſcula hujuſmodi, haud recte Pateras dici; neque ad vinum omnino fundendum, ut ex eorum forma apparet, accommodata eſſe, ſed ad aridum potius quiddam vel Diis Laribus in ſacrificio, vel cœnantibus fortaſſe in convivio, offerendum, adhibita fuiſſe, conjectatur, tum figuras in hoc vaſculo inſculptas, ad Ledæ fabellam referendas eſſe.

Tab. XVI.

Aliud vaſculum ejuſdem formæ ac generis. Ubi de figuris etiam in eo, perinde ac in ceteris plerumque inſculptis, conjecturæ quædam proponuntur.

Tab. XVII.

Haſtæ antiquæ ſpiculum, atque inſtrumenta duo fabrilia, ex ære confecta. Ubi de Haſtis et Gladiis veterum, poſt ferrum etiam inventum, ex ære factis, diſſeritur; atque in inſtrumentis iſtiuſmodi fabricandis, æs, promiſcuum diu cum ferro ipſo uſum obtinuiſſe, antiquorum teſtimoniis confirmatur.

XVIII.

As Romanorum libralis, ejuſque partes. Ubi de æris ſignandi auctore; atque unde mos deductus; quibuſque notis æs primum Romæ ſignatum eſſet, quæritur. Deinde, hujuſmodi nummos, omnium, qui Romæ unquam ſignati fuiſſent, antiquiſſimos eſſe, atque ante bellum Punicum, non feriendo percuſſos, aut typo aliquo impreſſos, ſed ex ære fuſo conflatos, oſtenditur. Tum ſingulorum momenta ſeu pondera notantur; ac ſigna in eis expreſſa illuſtrantur.

Tab. XIX.

As ad ſextam ejus partem; deinde ad duodecimam, auctoritate publica imminutus; parteſque utriuſque ita imminuti. Ubi imminutiones iſtæ, ex nummorum noſtrorum ſerie hic expoſita, illuſtrantur. Atque alias quoque æris imminutiones, a nemine licet antiquorum memoratas, factas tamen eſſe, arguitur. Tum notæ et ſigna in his nummis impreſſa explicantur. Ac ſingulorum momenta propria indicantur.

Tab. XX.

Pondus antiquum librale, ex ære factum. Item quatuor Unciæ æneæ, earumque partes nonnullæ. Ubi de Romanorum veterum ponderibus, auctoritate publica conſtitutis, ac de ſignis in eis inſculptis, pauca quædam dicuntur: ac ſingulorum momenta demonſtrantur. II. Aquilæ Imaguncula ænea, baſi impoſita. Ubi de Aquilis legionum et cohortium, quæ magna religione coli ſolebant, diſſeritur; atque Aquilam item noſtram ad cultum quendam divinum, vel domi vel militiæ, conſecratam olim eſſe, declaratur. III. Guttus antiquus ex ære. Ubi vaſculi iſtius uſus, ad olea ſcilicet atque unguenta pretioſa, cum in balneis, tum in ſacris, guttatim fundenda, demonſtratur. IV. Pes æneus votivus. Ubi de pedum imaginibus, ex voto Deorum alicui in templo ejus dicatis, a navigantibus præſertim, ſeu pedibus etiam ex morbo aliquo laborantibus, diſſeritur. Quam quidem ſuperſtitionem, hodie etiam Romæ, perinde ac in urbe antiqua, vigere, confirmatur. V. Tigridis Imago ænea, de cujus tamen uſu nihil certi ſtatui poteſt.

Tab. XXI.

Gemmarum ſeries; in quibus imagines variæ, antiquo opere cælatæ aut exſculptæ ſunt. I. Imago Byzantis Herois, urbis Byzantii conditoris. II. Hermaphroditi ad arborem alligati; cujus ad caput Faunus, ad pedes Satyrus aſſidet. III. Regis cujuſdam Parthorum. IV. Pruſiæ, Regis Bithyniæ. V. Sexti Chæronenſis, Plutarchi nepotis. VI. Omphales, Herculis inſignibus inſtructæ. VII. Matidiæ Auguſtæ. VIII. Fauſtinæ ſenioris. IX. Mercurii, ſymbolis ſuis omnibus inſtructi. X. Imagines variæ, ſymbolico quodam ſignificatu, inter ſeſe commixtæ: videlicet, Socratis, Pavonis, Elephantis et Sceptri. XI. Galli Gallinacei; et Cornu-copiæ, quod e globulo quaſi exſurgere videtur. XII. Mulieris, ſive Deæ cujuſdam Ægyptiæ. XIII. Avis Ægyptiæ ſive Ibidis. XIV. Lapis denique Chalcedonius, rotundus et globi dimidiati inſtar, ex altera parte planus, ex altera convexus; cui litteris quadratis inſcribitur. TRIUMPHUS QUADORUM —— Quæ quidem omnia, quatenus explicatione aliqua egere videantur, ordine illuſtrata ſunt.

Tab. XXII.

Mumia Ægyptia, a viro nobili Georgio Townſhend, Academiæ Cantabrigienſi donata. Ubi de loculis præſertim, thecisve ligneis, in quibus cadavera Ægyptiorum more condita, repoſita erant, diſſeritur: atque ex eorum forma et pingendi modo, et ſculpturæ et picturæ primordia ad Græcos traducta eſſe, conjicitur. Deinde ex putrido Mumiæ noſtræ ſtatu, Ægyptiorum veterum vanitas arguitur, qui hoc condiendi ritu, ſe corporibus etiam ſuis immortalitatem quaſi daturos eſſe credebant. Tum hanc cadaverum condituram, non tanto aromatum apparatu, tantoque ſumptu, quanto fieri ſolere traditur, revera effectam fuiſſe, ex Mumiæ noſtræ reliquiis, ceterarumque omnium, quæ a peregrinantibus deſcriptæ ſunt, demonſtratur.

Tab. XXIII.

Integumenti Mumiæ exterioris particula, pictis Deorum imaginibus ornata. Ubi picturarum earum deſcriptio quædam datur: quarum quidem nonnullæ, hanc cadavera condiendi artem, Ægyptiis olim divinitus datam eſſe, ſignificant; item lapidis ejus Æthiopici, quem cultelli loco, in cadavere ſecando, adhibebant, formam exhibent; atque Deorum etiam eorum effigies, qui Averrunci præcipue, ſeu malorum propulſatores habebantur; quibuſque cadaveris potiſſimum tutelam commendare ſolerent.

DISSERTATIONES VARIÆ

QUIBUS

MONUMENTA

In Tabulas Superiores diſtributa Ordine ſingula explicantur.

TABULA I.

PICTURAM hanc antiquam, ex Sepulchri cujuſdam parietibus, una cum ipſo parietum tectorio, exciſam, Roma mecum in Angliam advexi. Picturæ enim veteris reliquias, et majores eas quidem quam expectâram, cum in Principum palatiis, tum in privatorum ædibus, ibi adhuc extantes vidi: quæ in Sepulchrorum ſcilicet Balneorumve cameris ſubterraneis olim depictæ, atque ædificiorum deinde ſuperiorum ruinis oppreſſæ, et ab omni adeo humore, aeriſque acceſſu conſervatæ, uſque ad hanc ætatem illæſæ, atque integræ ſæpe reperiuntur: neque citius tamen reperiri, quam ab hominibus curioſis abripi, et quantum tectorii natura patitur, ad ædes proprias ornandas deportari ſolent.

Etenim tectoria iſta antiqua, picturæ præſertim excipiendæ deſtinata, ſumma ſemper diligentia, atque artificio elaborata eſſe, conſtat; et tempore ipſo ac ſenecta uſque eo induruiſſe,

ut

ut vel marmoris firmitatem acquirerent. [a] Horum igitur particulas, imaginibus pictis ornatas, homines in his rebus intelligentes, e parietibus facile exſcindere, atque, ipſorum quidem veterum exemplo, in alia loca amovere didicerunt. Quippe Græciam olim a Romanis, perinde ac Romam hodie ab exteris, ſpoliari ſolere, *opuſque hoc tectorium lateritiis parietibus exciſum, et ligneis formis incluſum, propter excellentiam picturæ, a Varrone et Muræna, ad Comitium in Ædilitate ſua exornandum, Lacedæmone Romam deportatum eſſe*, legimus. [b] At vero picturam noſtram, ex eo genere primam atque unicam ſane eſſe arbitror, quæ in Angliam unquam advecta eſſet; donec Meadius noſter, Artis Medicæ decus, qui vitæ revera nobilis, vel principibus in republica viris, exemplum præbet, pro eo, quo omnibus fere præſtat, artium veterum amore, alias poſtea quaſdam, et ſplendidiores, opinor, Roma quoque deportandas curavit.

Picturæ hujus figuras quod attinet; ex altera ejus parte, Deum quendam fluviatilem, eo plane habitu jacentem cernimus, quo fluviorum Deos, vel in marmoribus fictos, vel ab auctoribus antiquis deſcriptos accepimus; *comatum* nempe *barbatumque*; *crines arundine, ſeu herba aliqua fluvio propria redimitum*; *humi recumbentem*; *atque in urnam, unde amnis largiter profluit, cubito innixum* [c].

---

[a] *Totum in eo eſt, quod mihi erit curæ, tectorium ut concinnum ſit.* Cic. Epiſt. ad Frat. l. 3. 1. § 1. vid. Plin. Hiſt. N. l. 36. c. 23.

[b] Plin. ib. l. 35. 14.

[c] Fluvios omnes navigabiles, qui in mare decurrunt, ſenili plerumque forma fingi ſolitos docet Vir clariſs. J. Vaillant in Græcis Imperator. Numiſmat.—Philoſtratus fluvios nunquam erigi ſolere ſcribit. (Icon. l. 2. c. 14.) Et de *Phaſidis fluvii* imagine loquens, *vides*, inquit, *fluvium ipſum arundine in alta, tetrico vultu jacentem, coma denſa, et erecta, barba ſubhorrida, oculis cæſiis*. Philoſtr. Jun. Icon. 8.

Lævus arundineæ recubanſque ſub aggere ripæ
Cernitur, emiſſæque indulgens Inachus urnæ[d].

Ex altera parte, viri duo diſcincti, ſub arbore in eadem ſella ſibi invicem aſſident; juxta quos mulier aſtat, et geſtu, vultuque hilari, coronam quandam floream capiti ſuo imponit. Hujus ad ſiniſtram puer tunicatus, et ad genua ſuccinctus, e poculo bibere, et virorum alteri propinare videtur; qui poculum item manu tenet, quaſi mox bibiturus. Hæ quatuor figuræ ſeorſim paullulum a ceteris poſitæ, inter ſeſe colloquentes et compotantes deſcribuntur; quas verſus, alia quoque mulier accedit, floribus coronata, et caniſtrum ſimul floribus plenum in capite geſtans, greſſuſque baculo quodam agreſti quaſi ſub onere firmans[e]. Summa denique tabellæ pars fruticis cujuſdam floriferi ramulis decoratur, quorum e medio caput juvenile, ex opere ipſo tectorio effictum, atque alarum ſpecie quadam inſtructum, extra reliquam picturæ ſuperficiem prominet.

Quinetiam figurarum harum veſtitus quiddam notatu dignum præbere videtur, ejuſque omnino generis eſſe, quo Matronas olim Romanas ornatas legimus, quibus

Ad talos ſtola demiſſa, ac circumdata Palla[f].

quippe ſtola nihil aliud erat, ac tunica clauſa et talaris, zona plerumque cincta, et manicis inſtructa, quæ vel ad cubitum, vel, quod in hac pictura videmus, ad manus uſque pertingebant. Palla quoque nihil aliud erat ac Pallium, quod tunicæ ſuperinduere, et vel apertum geſtare, vel in ſinus varios colligere ac complicare ſolebant, quodque et Pallæ et Pallii nomine promiſcue appellabant[g].

---

[d] Stat. Thebaid. 6. 274. ib. 2. 218.

[e] Hanc eandem baculi formam in aliis antiquorum picturis, et mulieris pariter in manu caniſtrum florum geſtantis, animadverti. vid. *Pieces of Antient Painting*, by G. Turnbull, N° 36.

[f] Hor. Sat. l. 1. 2. 99.

Mulierum altera, Pallio viridi ſeu oleagino, altera violaceo, utraque vero tunica rubra induta eſt: Quippe ad veſtium muliebrium ornatum, omnigenos colores pro libitu adhiberi ſolitos conſtat; de quibus Ovidius;

Hic undas imitatus, habet quoque nomen ab undis:
Crediderim Nymphas hac ego veſte tegi.
Ille crocum ſimulat, croceo velatur amictu,
Roſcida luciferos cum Dea jungit equos.
Hic Paphias myrtos, hic purpureas Amethyſtos
Albenteſve roſas, Threiciamve gruem, &c.[h]

Virorum figuræ, partim ſeminudæ, partim tunicatæ apparent: Eo nimirum habitu, quo extra urbem in villis ſuis otiari conſueverunt. Horum alteri Toga ſive Lacerna cærulea, alteri rubra, tunicæ vero utriſque croceæ dantur. Etenim ruri ſemper fere lacernam induebant; veſtem ſcilicet apertam, atque humero tantum aut pectore fibula nexam: quæ cum Toga contractior, leviorque, et cucullo plerumque contra pluviam munita eſſet, [i] in Togæ penitus vicem, tam intra quam extra urbem, Cæſarum demum temporibus, ceſſiſſe traditur. Colores ei quidem varios, ſed omnium maxime rubrum, a Scriptoribus tributum invenimus,

---

[g] Palla, *honeſtæ mulieris veſtimentum, et tunicæ Pallium.* Non. de Sermon. propriet. c. 14.
Pallia, ſi terræ nimium demiſſa jacebunt,
Collige et immunda ſedulus effer humo.
Ov. Art. am. i. 153.
Et tegit auratos Palla ſuperba pedes.
Id. Amor. 3. 13.

[h] Ovid. de art. Amand. l. 3 177.
Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti
Vitis agit gemmas, pigraque cedit hyems,
Lana tot aut plures ſuccos bibit—Ibid.

Phaſis purpureis ruber lacernis. [k]
Criſpinus Tyrias humero revocante lacernas. [l]

Sed de Figurarum deſcriptione hactenus; ad earum jam interpretationem progrediamur: in qua quidem me plane hærere, neque certi aliquid aut explicati habere, fateor. Quum picturarum tamen harum interpretibus, item ac pictoribus ipſis, quidlibet audendi licentiam dari animadverterim, mihi quoque cæterorum exemplo, conandum eſſe ſtatui, an e re dubia atque obſcura, veriſimile demum aliquid conjectura elicere queam.

Quamobrem Dei fluviatilis imagine, Tyberim, ſive Deum Tyberinum denotari conjicio [m]; quem eodem fere modo in marmoribus, ac numiſmatibus antiquis perſæpe exſculptum cernimus, ut hiſtoriam videlicet, actionemve a ſculptore expreſſam, prope fluvium iſtum accidiſſe ſignificaretur.[n] Atque hinc intelligere licet, picturæ noſtræ ſcenam ad Tyberis ripas poſitam eſſe; hominesque iſtos, qui coronati ac potantes pinguntur, diem aliquem feſtum celebrare; quem Romani olim juxta Tyberim, cum conjugibus et liberis hilariter agere ſolerent. Hujuſmodi vero feſtum, Annæ Perennæ, idibus Martiis dicatum reperio: In quo populum ad Tyberis ripas, genio indulſiſſe, ac potu præſertim largiori, vitam ſibi perennem auſpicatum eſſe, memoriæ proditum eſt. *Menſe Martio*, inquit Macrobius, et publice et privatim ad *Annam Perennam ſacrificatum itur, ut annare et perennare commode liceat:*[o] hoc eſt, ut et annum præſentem et venturos omnes perenni ac perpetua felicitate tranſigerent. De hoc etiam Feſto Ovidius,

---

[i] —Turpis, odoratum caput obſcurante
lacerna. *Hor. S.* 2. 7. 55.
Si poſſem totas cuperem miſiſſe lacernas,
Nunc tantum capiti munera mitto
tuo. *Mart. Ep.* 14. 132.

Ex quo Martialis loco lacernarum cucullos a lacernis ipſis ſeparari interdum ſolere, Octavius Ferrarius oſtendit. De re Veſtiar. Par. 2. l. 1. c. 20.

[k] Mart. Epig. 5. 8.

[l] Juv. Sat. 1. 27. Hinc poſterioribus ſeculis Lacerna, a rubro colore, Byrrhus appellari cœpit. *Byrrhus,* inquit *Iſidòrus, a Græco vocabulum trahit. Illi enim eum Burrum, id eſt,* ϖυῤῥὸν *vocant,* l. 19. c. 24. Vid. Octav. Ferr. ib. c. 26.

[m] Hunc in ſacris Tyberinum, in communi ſermone Tyberim, in poemate Tybrim vocari Servius declarat, quem Virgilius ita deſcribit.

Huic Deus ipſe loci fluvio Tyberinus amœno
Populeas inter ſenior ſe attollere frondes
Viſus: Eum tenuis glauco velabat amictu
Carbaſus, et crines umbroſa tegebat arundo. Æn. 8. 31.

Idibus eſt Annæ feſtum geniale Perennæ
Haud procul a ripis, advena Tybri, tuis.
Plebs venit, ac virides paſſim disjecta per herbas
Potat, et accumbit cum pare quiſque ſua.

Sole tamen vinoque calent, annoſque precantur,
Quot ſumant cyathos, ad numerumque bibunt. &c.[p]

Jam vero Feſti hujus celebratio, cum figurarum noſtrarum deſcriptione ſatis apte congruit; in qua ſenes, mulieres, pueroſque ad Tyberis ripas, floribus coronatos, potantes, diemque genialiter ſumentes cernimus[q]. Ubi arbores item rem extra urbem,

---

[n] Vid. Montfauc. Antiq. Vol. 3. par. 1. l. 5. c. 7. Tab. 35. it. Supplem. Vol. 1. l. 5. c. 2. Tab. 26.

[o] Saturn 1. c. 12.

[p] Faſtor. 3. 523.

[q] Omnes, qui dies feſtos agunt, poculiſque operam dant, eodem fere habitu a Poetis deſcribuntur—

potare et ſpargere flores
Incipiam ——— — Hor. Ep. I. 1. 5.

Sed varii flores, et frons redimita corymbis,
Fuſa ſed ad teneros, lutea palla pedes.
Tibul. 1. 7.

Bacchus

urbem, ac verno potiſſimum tempore agi, declarant. Caputque iſtud juvenile, quod e ſuperna picturæ parte eminet, Genium fortaſſe loci indicat, hilaritatis hujus fautorem, ejuſque quaſi conſpectu ſeſe oblectantem. Sed nodus adhuc quidam reſtat; quippe virorum alteri tempora, vitta ſeu diademate cincta apparent, quod quidem Deorum ſolummodo, Imperatorum, Regumve olim inſigne fuiſſe cognovimus. At vero in feſtis hujuſmodi genialibus, quæ potu præſertim atque omni hilaritatis genere ſumebantur, quidni cum ſertis florumque coronis, faſcias etiam haſce aut diademata pro libitu, ac per ludum jocumque ſumi ſolere credamus? Iſtud vero utcunque fuerit, hoc ſaltem certiſſimum eſt, in picturis hujuſmodi, ſculpturiſque ſepulchralibus, Feſtos Deorum dies, Bacchantium ritus, ludoſque eos deſcribi ſolitos, quibus defuncti, cum viverent, delectati potiſſimum fuiſſent. . . . .

Hæc autem rei explicandæ ratio, quia nonnullis fortaſſe minus ſatisfactura ſit, aliam quoque ei adjungere libuit, ut lectori demum optionem aliquam judiciumque relinquam.

Quum picturas igitur haſce ſepulchrales, præter argumenta iſta modo memorata, Sepulchrorum etiam ritus, mortuorumque apud inferos ſtatum, ac vitæ degendæ conditionem ſæpiſſime exhibere vidiſſem, ſubiit ſtatim dubitatio, annon pictura noſtra defunctorum potius in campis Elyſiis vitam beatam atque hilarem, hac figurarum deſcriptione, adumbrare poſſet.

> *Bacchus amat flores; Baccho placuiſſe coronam,*
> *Ex Ariadnæo ſidere noſſe potes.*
> Ov. Faſt. 5. 339.

Neque coronas iſtas domi tantum atque inter potandum geſtari ſolitas, ſed coronatos etiam ebrios prodiiſſe atque in plateis verſatos eſſe legimus.

> *Quid, tu, ego video?*
> PS. *Cum corona ebrium Pſeudolum tuum.*
> Plaut. Pſeud. Ac. 5. 2.

Nam in beatorum iſtorum deliciis, enumerantur præcipue a Veteribus, *fontes aquis limpidis ſcatentes*; *prata floribus nitentia*; *Philoſophorum Scholæ*; *Poetarum chori*; *Muſicorum cantus*; *compotationes denique, dapeſque ſeſe ultro offerentes*[r]. Muſæus autem, ac ſi ebrietatem optimum virtutis præmium exiſtimaſſet, *beatos illos ad menſam accumbentes, et coronatos convivia celebrantes aſſiduiſque compotationibus ſeſe oblectantes* facere ſolitus dicitur[f]. Neque aliter fere Virgilius locos iſtos lætos, et amœna vireta, beatorumque ibi ſtudia depingit.

Conſpicit ecce alios dextra lævaque per herbam
Veſcentes, lætumque choro pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus; unde ſuperne
Plurimus Eridani per ſylvam volvitur amnis.

. . . .

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis,
Riparumque toros, et prata recentia rivis
Incolimus[t] ——

qui vitæ vero caſtitate, armis, artibus, beneficiiſve patriam auxiſſent, his omnibus vittæ ſeu diadematis honorem tributum dicit,

Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta[v].

Atque hic pariter omnia cum picturæ noſtræ interpretatione convenire, eandemque fere vitæ degendæ rationem, a Pictore atque a Poeta deſcriptam videmus; hominum ſcilicet floribus vittiſque coronatorum, et compotationibus ſeſe colloquiiſque ju-

---

[r] Vid. Plato. in Axioch. Vol. 3. p. 371.

[f] Ibid. de Rep. l. 2. p. 363.

[t] Æneid. 6. 656. it. 673.

[v] Ibid. 665.

jucundis ad fluviorum ripas oblectantium. De duabus autem hiſce conjecturis utra tandem veriſimilior fuerit, non meum eſt dijudicare: Hoc tantum polliceri licet, ſiquis rectius aliquid invenerit, me illud, quicquid erit, libenter amplexurum.

Sed antequam hanc noſtram diſſertatiunculam concludamus, non nihil etiam de picturæ ipſius pulchritudine, ac pingendi artificio dicendum reſtat: In quo quidem genere hoc univerſe ſtatuendum arbitror; picturas nimirum, in parietum tectoriis repertas, a præclaris licet artificibus confectas, non ea tamen diligentia, aut arte elaboratas fuiſſe, ac reliqua eorundem opera in tabulis ſingulis depicta. Etenim tectorii natura, tantis cum ruinarum tum incendiorum caſibus obnoxia, haud ullam famæ diuturnitatem, qua artes omnes maxime aluntur, pictori præſtare poterat: *Nulla* igitur, ut Plinius ait, *in tectoriis, Apellis pictura erat*; *nec parietes iis temporibus pingere libebat*; *nec ulla artificum gloria, niſi eorum, qui tabulas pinxere*[x]. Quum vero tabulæ contra ex incendiis rapi, de loco in locum deportari, artificumque adeo famam per urbes genteſque propagare poſſent, in his omnem artis ſuæ vim atque induſtriam ponendam eſſe cenſuerunt; neque aliud fere in parietibus pingendis curaſſe videntur, quam ut pictura coloribus ſatis pulchre niteſceret, utque figuræ primariæ ad naturæ ſimilitudinem exprimerentur; atque eo geſtu habituque, qui perſonæ et actioni, quam exprimendam ſumpſiſſent, accommodatus eſſet; de ſingulis interea figurarum membris, partibuſquæ picturæ obſcurioribus parum ſoliciti, nonniſi veloci manu ac penicillo levi iſtiuſmodi omnia abſolvere ſolebant.

In hoc igitur genere, picturam noſtram inter elegantiores numerandam eſſe arbitror: in qua figuræ ſatis apte diſpoſitæ, pulchræ coloratæ, nec ſine juſta partium proportione delineatæ apparent. Haud ei tamen certam aliquam ætatem præfinire auſim, ſed hoc tantum affirmare, eam ante Conſtantini ævum depictam eſſe: quo quidem regnante, artes omnes elegantiores jacuiſſe liquet: uti cum ex aliis eorum temporum monumentis, tum ex celebri præſertim Principis iſtius Arcu, perſpicuum eſt; quem ob ſculptorum bonorum inopiam, ex Arcus Trajani ſpoliis fabricatum, figuriſque inde deſumptis ornatum eſſe cognovimus: quum figuræ contra iſtæ, quæ ad Conſtantini geſta illuſtranda, ea ætate ſculptæ, atque in eodem arcu poſitæ erant, ita inconcinnæ ac deformes ſint, ut omnem artis ejus gloriam tunc temporis periiſſe oſtendant.

---

[x] Hiſt. N. l. 35. c. 9.

At vero longe ſecus, ac antiqui iſti Pictores cogitaverint, rem tandem eveniſſe videmus. Etenim quum præſtantiſſima quæque eorum opera, in tabulis ſingulis depicta, vetuſtate jamdiu abſumpta, ac penitus deleta ſint, hæ tamen debiliores parietum picturæ, vel ipſis ædium ruinis munitæ, atque ab omni damno conſervatæ, uſque ad noſtra tempora permanſerunt.

Ex his autem picturæ veteris reliquiis, nonnulli de artis ipſius dignitate temere nimis judicantes, eam ad ſculpturæ antiquæ perfectionem nequaquam perveniſſe contendunt. Sed ex arctiſſima artium harum conjunctione, ambas paſſibus ſemper æquis ad perfectionem ſuam progreſſas eſſe conſtat; hoc tantum diſcrimine, quod ex diverſa utriuſque natura ac materia accidere neceſſe erat, ut picturæ nimirum vel optima quæque exemplaria, propter rei ipſius fragilitatem cito peritura, Sculpturæ vero contra, propter materiæ duritiem, in omne fere ævum duratura eſſent.

TABULA II.

HÆC Imaguncula Muliebris, porcellum dextra, et infantulum ſiniſtra geſtans, ſacrum aliquod ſolenne, ob liberos natos a veteribus fieri ſolitum, adumbrare videtur. Varios enim hujus generis ritus, a ſcriptoribus antiquis traditos accepimus, quos e Græcia fere omnes Romam manaſſe conſtat.

Infans ſimul ac natus, in terram, tanquam communem omnium parentem, ab obſtetrice nudus abjiciebatur. Natura, inquit Plinius, *hominem nudum, in nuda humo, natali die abjicit, ad vagitus ſtatim et ploratum* [y].

> *Tactaque naſcenti corpus haberet humus* [z].

Hoc terræ contactu, vox naſcentibus dari credebatur; *Maiamque Mercurii matrem, eandem ac terram eſſe, Fatuamque a fando appellari Macrobius* ſcribit, *quod infantes partu editi non prius vocem edunt, quam attigerint terram* [a].

Puerum autem in terram abjectum, ſi parentes alere decreviſſent, quod non ſine conſultatione quadam et deliberatione feciſſe videntur, ab humo pater tollere ſolebat.

> *Quicquid peperiſſent, decreverunt tollere* [b].

---

[y] Hiſt. Nat. Præf. ad lib. 7. Atque ſolum iſtud, quod Auguſtus naſcens primum attigiſſet, conſecratum poſtea fuiſſe diſcimus. Sueton. in Aug. c. 5.

[z] Ovid. Triſt. l. 4. 3.

[a] Saturn. 1. 12.

[b] Ter. And. 1. 3. 14.

Conſulti ſunt, inquit Seneca, *de nobis parentes noſtri, qui cum conditionem vitæ noſcerent, in hanc nos ſuſtulerunt* [c]. Hinc deam quandam Levanam, liberos levandi auctricem atque præſidem, Romæ olim extitiſſe legimus [d].

Infantulum dein luſtrandi, ſacriſque initiandi ſolennitas, quinto poſt partum die, celebrata fuit.

> *Quin Diis ſacrificare hodie pro puero volo,*
> *Quinto die quod facere oportet* [e].

Hic ritus ἀμφιδρόμια a Græcis dicitur, quia puer ſcilicet circa focum, quem Deorum domeſticorum ſedem propriam eſſe putabant [f], ab obſtetrice, celeri curſu circumferebatur [g]. Ex qua pueri circumferendi conſuetudine, verbum ipſum *circumferre*, eandem apud veteres ſignificationem obtinuiſſe invenimus, ac purgare ſeu luſtrare;

> *Idem ter ſocios pura circumtulit unda* [h].
> *Quæſo quin tu iſtanc jubes*
> *pro Cerrita circumferri*—[i]

Atque hinc quoque verbum, *luſtrare*, in eodem plane ſenſu, ac circumire, uſurpatum eſt.

---

[c] De conſolat. ad Marc. c. 18.

[d] Auguſt. de Civ. D. iv. xi.

[e] Plaut. Truc. 2. 4.

[f] Vid. Platon. de legib. l. 12. Oper. T. 2. p. 955. Edit. Hen. Steph. Quem quidem locum Cicero iter interpretatur; *Terra igitur, ut Focus, domicilium ſacrum omnium Deorum eſt*. De Legib. l. 2. 18.

[g] Ritus hujus ratio a Socrate apud Platonem indicatur: ut Parentes ſcilicet, quinto poſt partum die periculum facerent, conſiliumque de novo caperent, an puer corpore ſatis valido ſanoque eſſet; dignuſque omnino qui tolleretur. in Theæt. Oper. T. 1. p. 160. De hoc etiam ritu Suidas, in voce Ἀμφιδρόμια, quintum, inquit, ab infantibus natis diem celebrant; quo die manus purgant obſtetrices, et propinqui dona mittunt, polypedas plerumque et ſæpias; deinde decimo die Infanti nomen imponunt.

[h] Virg. Æn. 6. 229.

[i] Plaut. Amphit. 2. 2. 144.

——*Ter totum fervidus ira*
Luſtrat Aventini montem[k].

Luſtrandi ritu confecto, nomina deinde infantibus, ſolenni modo cum ſacrificiis epuliſque, apud Græcos, die decimo imponebantur.

Εἰς δεκάτην γάρ ποτε παιδαρίου κληθεὶς ὑπέπινον ἐν ἄστει[l].

Nam ad decimum pueri diem olim vocatus cenavi in urbe ubi Scholiaſtes decimum diem ob liberos natos conviviis ſumi ſolitum dicit, atque eodem die nomina eis imponi. Quod ab Euripide etiam confirmatur.

— — — τίς σε, μᾶτερ, ἐν δεκάτῃ τόκου
ὠνόμασε ——[m]

Quis tibi, mater, decimo poſt partum die,
nomen impoſuit———

Hæc autem ſacra per obſtetricem plerumque facta eſſe videntur; quippe Electræ matrem Clytemneſtram roganti, ut pro filio ſibi nato, ſuo nomine die decimo ſacrificaret, mater reſpondit

Ἄλλης τοδ᾽ ἔργον ἥ σ᾽ ἔλυσεν ἐκ τόκων[n].——

Alterius hoc munus eſt, quæ te partu levavit.

At vero Romæ rem paullo aliter tranſactam eſſe, infantiumque

---

[k] Virg. Æn. 8. 230. vid. item Non. Marcell. c. 4. in luſtrare.

[l] Ariſtoph. Avib. 494.

[m] Eurip. Fragm. in Ægeus.

[n] Id. Electr. 1128.

que luſtrationem et nominum impoſitionem eodem die celebratas invenimus. *Nundina*, inquit Macrobius, *Romanorum Dea, a nono naſcentium die nuncupatur, qui Luſtricus dicitur, eſt autem dies luſtricus, quo infantes luſtrantur et nomen accipiunt: is maribus nonus eſt, octavus feminis* [o]. Atque hinc Caligula, ut Suetonius ait, Neroni infantulo, nomen Claudii patrui ſui, die luſtrico per jocum impoſuit [p]. Hoc luſtrandi ritu ad Deorum altaria peracto, amicisque et cognatis ad convivium adhibitis, nomina deinde domi impoſita eſſe videntur; in quibus numerus vocalium, par aut impar, ad morbos quoſdam pellendos valuiſſe credebatur [q].

Ex hac vero nominalium, uti vocabatur, ſolennitate [r], Sanctus Chryſoſtomus ridiculas quaſdam cæremonias in Eccleſiam Chriſti traductas eſſe queritur. "Cum puerum, inquit, nominandi dies advenerit, a ſanctorum aliquo nomen mutuari, quod a veteribus fieri ſolebat, haud dignantes, lumina accendunt, ſinguliſque nomina imponunt, ejuſque, quod cæteris diutius perduraverit, nomen puero imponendum arripiunt, tanquam vitæ longævæ augurium [ſ]."

Romani denique liberorum ſuorum nomina ad Præfectos ærarii deferebant, publicis actis inferenda, addito die et Conſule, quo ætas eorum poſtea, ingenuitaſque dignoſci poterant.

---

[o] Saturn. 1. 16. it. Pomp. Feſt. in Luſtricus.

[p] In Neron. c. 5. De hac Diei luſtrici pueris puelliſque aſſignati differentia, quæſtionem inſtituit Plutarchus, cauſamque reddere conatur. Quæſt. Rom. 99.

[q] Plin. Hiſt. N. l. 28. c. 4.

[r] Tertull. de Idol. c. 16.

[ſ] Hom. 12. in Epiſt. 1. ad Cor. Oper. T. x. p. 107. Edit. Benedict.——alios item ritus quoſdam, ad infantium curam ſpectantes, atque a gentilibus deductos, Chryſoſtomus commemorat; de quibus ita demum cum Chriſtianis ſuis expoſtulat: *Quod apud Græcos quidem talia fiant, nihil ſane mirum eſt; quod autem apud eos, qui crucem adorant, ac myſteriorum ineffabilium participes ſunt, et tam ſublimem philoſophiam perſequuntur, tantum dedecus invaluerit, multis certe lacrymis deflendum eſt.* Ibid.

Tollis enim, et libris actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri [t]. ——

Sed ad Icunculam noſtram redeamus; quam Perſius quodammodo deſcribere videtur, dum in ſuperſtitioſos hoſce luſtrandi ritus, atque inepta mulierum vota, pro liberis die luſtrico ſuſcepta, invehitur.

Ecce Avia aut metuens Divûm Matertera cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito, et luſtralibus ante ſalivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit; &c. [u].

Pueruli hujus figura, caputque a capillis nudum, ac corpus ligamento quodam, tanquam vinculo, conſtrictum [x], uti paucorum admodum dierum ætatem denotant, ita hunc luſtrandi ritum prorſus indicare videntur. Quippe porcum in luſtrationibus fere omnibus, atque in Cereris præſertim ſacris, adhibitum eſſe liquet [y].

---

[t] —Juv. Sat. 9. 84.

[u] Sat. 2. 31. Saliva olim, ad faſcinationes, contagia, morboſque pellendos, mirificam quandam vim habuiſſe putabatur. [Vid. Plin. l. 28. 4.] Sed in his infantium luſtrationibus, non meram eam quidam habuiſſe videntur, ſed luto ſeu pulvere commixtam. *Lutum*, inquit Chryſoſtomus, *in balneo accipientes nutrices et ancillæ, digito tingentes, in pueri fronte imprimunt. Quid ſibi vult lutum; quid cænum? Malum avertit oculum, inquiunt, livorem, et invidiam.* Vid. Ibid.

[x] Ab hoc lucis rudimento hominem vincula excipiunt, et omnium membrorum nexus, &c. *Plin. Proœm. in lib. 7.*

[y] Ab Suillo genere pecoris immolandi initium ſumptum videtur: cujus veſtigia, quod initiis Cereris porci immolantur. *Varr. de re ruſt. l. 2. c. 4.*

'Ες χοιρίδιόν μοι νῦν δάνεισον τρεῖς δράχμας,
Δεῖ γὰρ μυηθῆναί με, πρὶν τεθνηκέναι[z].
Da mihi mutuo tres drachmas, ut porcellum emam,
Nam initiari me oportet, antequam mori.

Ex quo conjicere licet, ad quem potiſſimum Deorum hic infantulus a muliere initiandus defertur: quippe ex omni cœleſtium claſſe, Parentes Deum ſibi aliquem pro arbitrio ſeligere conſueverunt, cui ſeſe liberoſque ſuos præcipue commendare, atque in tutelam quaſi tradere poſſent. Hinc Caligula infantem ſibi natam, *Liviam Druſillam, per omnium Dearum templa circumtuliſſe, et Minervæ gremio impoſuiſſe, eique alendam et inſtituendam commendaſſe,* traditur[a]. At vero porcus quem mulier dextra tenet, infantulum noſtrum Cereri ſane dicatum eſſe oſtendit: porcum enim Cereri tanquam proprium, a veteribus tributum cognovimus.

Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſanguine porcæ,
Ulta ſuas merita cæde nocentis opes[b].
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant[c].

In numiſmatibus idcirco antiquis, ſuem interdum vel porcum ad Cereris imaginem, tanquam ſymbolum, adjunctum videmus[d]: et in vaſe quodam apud Montfauconium. Cereris effigies exſculpta apparet, atque ex adverſo mulieris, dextra porcum ferentis, quaſi Cereri immolandum[e].

---

[z] Ariſtoph. in Pace. v. 373.

[a] Sueton. in C. Cal. c. 25.

[b] Ov. Faſt. 1. 143.

[c] Hor. Epod. 2. 1.

[d] Vid. Fulv. Urſin. in Famil. Vibia.

[e] Antiqu. Vol. 2. par. 1. p. 113. Fig. 1. In veteri quadam Inſcriptione, T. Baſilius *Porcam Deæ Cereri quotannis mactandam,* epulumque dandum ex teſtamento legaſſe dicitur. *Vid. Bonifac. de Epitaph. compend. p.* 95.

Neque illud item prætermittendum, quod hæc Imaguncula in agro Neapolitano reperta fuerit; ea nimirum Italiæ parte, quæ a Græcis olim poſſeſſa, et magna Græcia vocata eſt; atque unde hæc ipſa Cereris religio Romam traducta eſſe dicitur: in qua quidem urbe ſimulachrum ejus, omnium primum ex ære factum, ac ſumma deinceps veneratione cultum accepimus[f]. Hinc in marmoribus antiquis Cererem Orcilianam, ac Organianam, memoratam legimus; a familiis quibuſdam Romanis, cultui ejus addictis, ita nominatam[g]. Quinetiam inter Sculpturæ veteris reliquias, effigiem quandam Cereris animadverti, cujus in ſinu infantuli duo recumbentes finguntur; ad ſingularem iſtam infantium curam denotandam, propter quam *κȣροτρόφος* et *παιδοτρόφος*, hoc eſt, puerorum altrix, ab antiquis appellatur[h].

Quod interpretationem autem noſtram maxime confirmat, hæc Cereris ſacra per mulieres ſemper curata erant.

Feſta piæ Cereris celebrabant annua matres[i].

Aditus in id Sacrarium, inquit Cicero, *non eſt viris, ſacra per mulieres et virgines confici*[k]. *Et ne vetuſti ritus perita deeſſet Antiſtes, Græcam Sacerdotem, quæ ſacrum illud monſtraret et faceret, e Græciæ magnæ urbibus, Neapoli aut Velia, Romanos* plerumque accerſere ſolitos declarat[l]. De quibus Deæ hujus ſacerdotibus Græcis, nonnulla adhuc monumenta extant.

---

[f] Plin. Hiſt. N. l. 34. 4. Vid. it. Cic. Orat. pro Corn. Balbo. 24.

[g] Spon. Miſcell. Erudit. Antiqu. p. 90.

[h] Montfauc. Vol. 1. l. 2. c. x. Beger. Theſaur. Brandeb. V. 1. p. 6. Vid. it. Herodot. in Vit. Homer. p. 569. Edit. Lond.

[i] Ov. Metam. l. x. 431.

[k] In Verr. 4. 45.

CASPONIA. P. F.
MAXIMA
SACERDOS CERERIS
POPULI ROMANI
SICVLA[m].

Icunculæ noſtræ materiem quod attinet; ex ære ſolido conflata eſt; at pigmento quodam albeſcente ab initio, ut videtur, delibuta; quo albam illam puramve, cum ſacrificantium omnium, tum Cereris præſertim ſacra curantium, veſtem indicaret.

Alba decent Cererem, veſtes Cerealibus albas
Sumite[n].

Quod vero nutrices potiſſimum, hoc pueros luſtrandi munus obeuntes, albatæ fuerint, ex Perſii loco diſcimus.

Aſt ego nutrici non mando vota: negato
Jupiter hoc illi, quamvis te albata rogarit[o].

Atque hoc adeo ſimulachrum, mulierum ad Deorum altaria accedentium imaginem iſtam revera exhibet, quam verbis deſcribit Plautus.

---

[l] Sacra Cereris ſumma majores noſtri religione confici, cæremoniaque voluerunt: quæ cum eſſent aſſumpta de Græcia, et per Græcas ſemper curata ſunt Sacerdotes—Has ſacerdotes video fere aut Neapolitanas, aut Velienſes fuiſſe —— *Cic. pr. Corn. Balb.* 24.

[m] Gruter. V. 2. p. 308. 4.

[n] Ovid. Faſt. 4. 619.

[o] Sat. 2. 38.

——— *Æquis vos erat*
Candidatas venire, hoſtiataſque ad hoc
Fanum[p].

Brachium præterea dextrum, pedeſque mulieris nudi, peculiarem quendam ſacrificandi ritum indicant; quo quidem habitu in ſculpturis ſæpe antiquis ſacrificantium figuræ cernuntur. Nudis pedibus ſacrificare, apud veteres fere omnes uſurpatum, atque a Judæis ſane acceptum eſſe putatur. Quippe Dæmones, ut Juſtinus Martyr ait, *propter imitationem ejus quod Moſi accidiſſet, cultores ſuos, loca ſacra ingredientes, calceos deponere docuerunt*[q]. Hinc apud Romanos Veſtæ, quæ eadem ac Terra habita eſt[r], non niſi nudo pede ſacra facere licebat.

Huc pede matronam vidi deſcendere nudo[ſ].

Jam vero ſi quærat tandem aliquis, ob quam cauſam, hanc Icunculam olim fictam eſſe putem; dicerem ſane, ex voto pro Infantulo nato Cereri ſuſcepto, eam confectam eſſe, atque in Templo deinde Deæ pro more ſuſpenſam. Etenim Templa fere omnia, cum apud Græcos tum Romanos, iſtiuſmodi donis referta fuiſſe, perſpicuum eſt: quæ maxima ex parte nihil aliud erant, ac ſigilla, ſeu minutæ quædam Deorum, hominumve figuræ, e marmore plerumque aut metallo conflatæ;

---

[p] Rud. 1. 5.

[q] Apol. 1. p. 91. Edit. Thirlb.

[r] Rotundam ædem Veſtæ Numa——— conſecraſſe videtur; quod eandem eſſe Terram crediderit, eamque pilæ forma eſſe: ut ſui ſimili templo Dea coleretur.——*Feſtus in Rotunda.*

[ſ] Ovid. Faſt. 6. 397. Virgines ex Sacerdotio Veſtæ nudo pede fugientia ſacra comitantur. Flor. l. 1. c. 13. § 12.

quibus tabella etiam baſisve adjuncta erat, quæ et Deæ et voventis nomen indicare, cauſamque voti exponere ſolebat; quam quidem baſim, in tanta temporis longinquitate, ab imagine noſtra ſejunctam, et deperditam eſſe, haud mirandum eſt.

I. O. M. —— ——[t]
—— TERENTIA. NICE.
—— CVM. TERENTIO. DAMARI
—— ONE. FILIO —— ——
—— SIGNVM. ET. BASIM.
VOTO. SVSCEPTO. DE. SVO. POSVIT.
LVSTRO. EIVSDEM. DAMARIO
NIS.

In tabella quadam figulina, antiqui operis, a viro doctiſſimo, Bonannio, in lucem edita, imaginem cernimus obſtetricis, infantulum gremio foventis, matremque dextra ſuſtinentis; quæ Puerperæ cujuſdam votum eſſe putatur, Junoni Lucinæ ſuſceptum[u]. Quinetiam gemma antiqua a celeberrimo Montfauconio exhibetur, in qua Apollinis effigies inſculpta eſt, una cum muliebri figura, quæ puerulum nudum, in patina quadam, Deo quaſi in manus tradere videtur: quam quidem gemmam votum item fuiſſe, pro puero nato ſuſceptum, harum rerum periti omnes declarant [x]. Ex his igitur veterum monumentis, aliiſque permultis, quæ in eandem ſententiam adduci poſſent, illud ſane, quod modo dixi, veriſimile admodum eſſe videtur; hanç ſcilicet imagunculam, infantis luſtrandi ritum adumbrantem, Cereri olim ex voto donatam fuiſſe.

---

[t] Gruter. Vol. 1. 9. 5.
GENIO. DOMNOR. CERERI.
T. POBLICIVS. CRESCENS. LARIBVS.
PVBLICIS. DEDIT. IMAGINES. ARGENT. DVAS.
- - - - - - - - - - - - - - - -
Marmi D'Orſat. Lett. 1. p. 4.

[u] Vid. Muſæum Kircher. Claſſ. 2. p. 67. Tab. 23. 1.——It. Thomaſin. de Donariis. c. 14.

---

[x] Antiq. Vol. 2. par. 1. l. 3. c. 14. Tab. 27. 4.

TABULA

TABULA III.

BULLA hæc aurea, cujus formam et magnitudinem accurate ſatis deſcriptas damus, quum urbis antiquæ ruinis uſque ad hanc ætatem ſepulta jacuiſſet, integra tamen poſt tot ſeculorum decurſum reperta, atque in lucem revocata eſt. Etenim Foſſores quidam, in monumentis veteribus explorandis, marmoribuſque eruendis occupati, dum Mauſolei cujuſdam rudera, juxta viam Præneſtinam, ad quartum ab urbe lapidem, perſcrutantur, in conclave ſubterraneum, picturis ornatum, et pulchre pavimentatum irruperunt[y]. In hoc urnam e marmore nobilem conſpicientes, ejuſque operculum plumbo defixum, nimiſque ponderoſum, quam ut amoveri facile poſſet, confringentes, vaſculum intus ex alabaſtro orientali invenerunt, in quo oſſium combuſtorum reliquiæ, una cum hac Bulla, conditæ erant: ſed vaſculum item ipſum, præ nimia auri reperiendi cupiditate, confregerunt. Atqui hæc ſtatim omnia, Franciſcus Ficcoronius, ſollertiſſimus ille quidem harum rerum inveſtigator, marmoris, vaſculi, et picturarum fragmenta, itemque Bullam ipſam, ab operariis iſtis coemit[z]; quam ex ejus deinde manibus, at pretio tamen haud parum amplificato, redemi, atque in Angliam mecum advexi.

Hanc eandem Bullam, ut Roma rediens Pariſios veneram, celeberrimo, Montfauconio oſtendi : qui me ante euntem benigne admodum exceperat, et quicquid Cœnobii iſtius Bibliotheca inſtructiſſima, vel rerum vel codicum antiquorum, ſingulare eximiumque habuit, id ſumma mihi comitate monſtraverat. Vir autem ille eruditus, Bullæ licet hujus figuram ectypam, a Ficcoronio Roma miſſam viderat, at Bullam tamen ejuſmodi germanam, ſe nunquam antea vidiſſe declaravit.

---

[y] Monumenta iſtiuſmodi Sepulchralia, duarum videlicet contignationum, quæ duas cameras, alteram alteri impoſitam, habebant, græco nomine, Diſtæga appellabantur : de quibus in antiquis Inſcriptionibus mentionem factam obſervavi. Gruter. p. 827. 6. it. Spon. Miſcell. p. 291, 292.

[z] Vid. Libellum de hac ipſa Bulla aurea, a Franc. Ficcoronio Italice conſcriptum. p. 6. 4to in Roma. 1732.

Hoc nobile pectoris aurum, ut a Statio vocatur [a], puerorum ingenuorum geſtamen fuiſſe, collo ſuſpenſum, atque in pectus demiſſum, notiſſimum eſt; *ornamentum pueritiæ, indicium atque inſigne fortunæ* [b]. Sed de ejus origine nihil fere certi memoriæ proditum eſt. Plutarchus eam Romulo attribuit; qui ut Sabinas a ſuis raptas conſolaretur, *Bullam et Prætextam earum liberis conceſſiſſe dicitur* [c]. Plinius autem, "a
" Tarquinio Priſco, omnium primo, filium, cum in præ-
" textæ annis occidiſſet hoſtem, Bulla aurea donatum, ſcri-
" bit, moremque inde deductum, ut eorum qui equo meru-
" iſſent filii, inſigne id haberent [d]." Macrobius dein, utraſque has ſententias, item ac alias quaſdam recenſet, ſed vetuſtatis peritiſſimos ad Romulum rem referre declarat [e]. Mihi vero haudquaquam credibile videtur, ornamenta tam pretioſa, quæ luxus divitiarumque ſpeciem præ ſe ferunt, in iſta Romuli fæce, urbiſque paupertate, excogitata primum fuiſſe. At quæcunque rei ipſius origo fuerit, tamen uſum ejus antiquiſſimum, atque ab Etruria deductum eſſe liquet.

---

[a] Silvar. l. 5. 3. v. 120.
[b] Cic. in Verr. 1. 58.
[c] In Romul. p. 30. B.
[d] Hiſt. N. l. 33. 1.
[e] Saturn 1. 6.

—— *Etruſcum puero ſi contigit aurum*[f].

Pueri autem Romani, cum virilem jam togam ſumpturi eſſent, Bullam una cum prætexta deponere, Laribuſque ſuſpendere ſolebant.

Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit[g].

Atque hinc Lares Bullati a Petronio memorantur[h]. Sed et aliis eam quoque Diis interdum donatam fuiſſe, ex Inſcriptione antiqua apparet.

IVNONI PLACIDAE
. . . .
CLAUDIA SABBATS
BVLLAM D. D.[i]
. . . .

De tempore Bullam deponendi, togamque ſumendi, diverſas ſane atque inter ſe diſcrepantes eruditorum ſententias reperio. Nonnulli anno decimo quarto id fieri ſolitum declarant; quod ex Suetonii potiſſimum teſtimonio, exemplisque ex Cæſarum temporibus petitis, confirmant. At vero Imperatores eos cunctas fere veterum conſuetudines immutaſſe, togamque pro arbitrio atque honoris cauſa, filiis et propinquis ante legitimum tempus dediſſe cognovimus. Neroni togam anno decimo quarto donatam legimus: at *maturatam* eam dicit Tacitus, *quo Reipublicæ capeſſendæ habilis videretur*[k]. Priſcis Reipublicæ temporibus, togam haud ante annum decimum ſeptimum pueris conceſſam exiſtimo; at labante paullatim priſcorum diſciplina, parentes, quo liberis gratificarentur, gaudium iſtud libertatiſque initium maturaſſe, togamque anno decimo ſexto eis indulſiſſe, conſtat: quippe eo ætatis ſuæ anno Ciceronem, et ipſum togam virilem ſumpſiſſe, et filio poſtea eundem annum agenti eam donaſſe, a Cardinali Noriſio demonſtratur[l].

---

[f] Juv. Sat. 5. 165. At non pueris modo Bullam auream conceſſam eſſe, ſed puellis etiam, et die ipſo natali, dari ſolitam, ex Plauti loco quodam ſignificari videtur.

Et Bulla aurea eſt, pater quam dedit
mihi natali die.
Rud. 4. 4. 127.

[g] Perſ. Sat. 5. 30.

Mox ubi Bulla rudi dimiſſa eſt aurea collo,
Matris et ante Deos libera ſumpta toga.
Propert. 4. 1. 131.

Quippe in omni vitæ mutatione, veteribus ſolenne erat, ætatis anteactæ inſignia, ſeu artis quam exercuerant inſtrumenta, Deorum alicui conſecrare; Ephebis Bullam; Virginibus nupturis, zonam; militibus et gladiatoribus, arma; Servis, catenas; paſtoribus, fiſtulam. *Vid. Hor. Ep.* 1. 1. *it. Sat.* 1. 5. *Virg. Ecl.* 7. *Anthol. Græc.* 1. xi.

[h] c. 38.

[i] Grut. p. 25. 2.

Bullam vero, ut Laribus dicari, ſi ad pubertatis annos puer perveniſſet, ita in ſepulchro condi ſoleri, ſi prætextatus mortem obiiſſet, ex Bullæ noſtræ hiſtoriola colligi poſſe videtur. Sponius etiam marmor quoddam ſepulchrale exhibet, in quo pueri bullati imago inſculpta cernitur, cum hac inſcriptione[m].

D. M.
Q. ATERIVS. AD
IVTOR. FECIT
Q. ATERIO. AGE
THEMERO. FILIO
SVO. VIXIT. AN.
IIII. M. II.

---

[k] Ann. 12. 41.

[l] Cenotaph. Piſ. Diſſ. 2. c. 4.

[m] Miſcell. Erud. Antiq. p. 299.

F 2

Ubi Quadrimuli hujus Bulla, cujus figura in pueruli pectore extrinſecus expreſſa eſt, intra Ollam etiam, ut conjicere licet, una cum oſſibus ejus recondita fuit.

De nominis autem perinde ac rei origine, auctores veteres haudquaquam inter ſe convenire video. Feſtus illud a græca voce, βȣλὴ, derivatum dicit, ut eam ætatem aliorum conſilio regendam, ſignificaretur[n]. Alii ab aquæ bullis, aere inflatis et nomen et formam deducunt; ad levitatem ſcilicet humanam, imbecillitatemque indicandam[o]; ſecundum vetus illud proverbium, *Homo Bulla*[p]. At vero Macrobius, *ingenuis pueris attributum eſſe ſcribit, ut cordis figuram in Bulla ante pectus annecterent, quam inſpicientes, ita demum ſe homines cogitarent, ſi corde præſtarent*[q]. Ex quo quidem Macrobii loco, eruditorum plerique, quoties in ſcriptis veterum explicandis in Bullæ mentionem inciderint, cordiformem eam eſſe declarant[r]. Sponius autem, Cauſæuſque, qui veram Bullæ aureæ formam ex monumentis ſtatuiſque antiquis accuratius inveſtigarant. Macrobii errorem coarguuut, Bullamque auream, neque cordiformem neque ulla cordis figura inſculptam, ſed rotundam plane, atque huic noſtræ ſimillimam paremque omnino fuiſſe oſtendunt[ſ].

Macrobius igitur, qui Honorii temporibus floruit, in quibus Bullæ aureæ mos in deſuetudinem forſitan abiiſſet, hanc Bullarum Cordiformium notionem ex Chriſtianorum uſu arripuiſſe videtur; quibus cordis figura, ut Aringhus docet, tanquam amoris innocentiæ atque integritatis ſymbolum, magno in honore fuit, eorumque ſepulchris ſæpiſſime inſculpta, atque in Bullæ etiam ipſius locum ſubſtituta[t]. At vero Caſalius marmoream pueri imaginem e Muſeo ſuo edidit, Bulla ornatam, in qua cordis figura inſculpta apparet: quod tamen ad Chriſtianorum priſcorum conſuetudinem iſtam omnino referendum eſſe, Ficcoronius oſtendit[u].

---

[n] In voce Bulla.

[o] Plutarchi in Romul. 30.

[p] Varr. de Re Ruſt. l. 1. 1.

[q] Saturn. l. 1. c. 6.

[r] Thom. Dempſter. Etrur. Regal. p. 303. Aringh. Rom. Subterr. Vol. 2. l. 6. 690. it. Pier. Valerian. Hieroglyph. p. 242.

[ſ] Spon. Miſcell. Erud. Antiq. p. 299. Cauſeus. Muſ. Rom. p. 103.

Quinetiam omnes fere, qui de Bulla aurea ſcripſerunt, eam nobilium ſolummodo liberis, tanquam propriam attribuunt; attamen Equeſtri loco natis, uſque ab initio conceſſam, liquet[x]: et poſtremis deinceps Reipublicæ temporibus, ab ingenuis ſane quibuſlibet, ſeu omnium ordinum civibus, quorum facultates ad iſtiuſmodi ſumptum pertingerent, pro libitu uſurpatam eſſe, ex Ciceronis loco quodam perſpicuum eſt.

Etenim Cicero, Verrem accuſans, puerum quendam prætextatum, P. Junium, quem patrimonio Verres ſpoliarat, in conſpectu Judicum ſed ſine Bulla produxit; quod cum Hortenſius, qui Verrem defendebat, eum populariter, atque invidiæ commovendæ cauſa feciſſe queſtus eſſet, Cicero ita reſpondet; " Quid erat, Hortenſi, tandem in illo puero populare? quid invidioſum? Gracchi credo, aut Saturnini, aut alicujus hominis ejuſmodi produxeram filium, ut nomine ipſo et memoria patris animos imperitæ multitudinis concitarem.

---

[t] Aringh. ibid. 694.

[u] De Veter. Chriſtianor. ritib. p. 265. Edit. Rom. 1644. it. Ficcoron. Della Bolla d'oro. p. 14.

[x] Unde mos deductus, ut eorum, qui equo meruiſſent, filii inſigne id haberent. Plin. Hiſt. Nat. l. 33. 1.

“tarem. P. Junii erat, hominis de plebe Romana, filius— Hic iſtius nefario latrocinio bonis patriis fortuniſque omnibus ſpoliatus venit in judicium——Itaque tibi, Hortenſi, non illius ætas ſed cauſa; non veſtitus ſed fortuna popularis videbatur: neque te tam commovebat, quod ille cum toga prætexta, quam quod ſine Bulla venerat. Veſtitus enim neminem commovebat is, quem illi mos et jus ingenuitatis dabat. Quod ornamentum pater dederat, indicium atque inſigne fortunæ; hoc a prædone iſto ereptum eſſe, graviter et acerbe homines ferebant[y].” Ex quo loco patet, Bullam non nobilitatis, ſed ingenuitatis tantum, divitiarumve potius inſigne fuiſſe: quam quidem Cicero, a filio hominis de plebe geſtatam, et fortunis deinde imminutis, ab eodem depoſitam eſſe, declarat. Atque hoc idem ex Inſcriptione iſta ſepulchrali ſupra allata, de puerulo quadrimo Bulla ornato, confirmari videtur: puerum nempe eum non niſi libertino genere natum eſſe, ex Græco Agathemeri cognomine, adjutoriſque titulo, quo pater inſignitur, colligere licet: adjutores enim illi Cæſarum fere liberti erant, qui inter Domus Auguſtæ officia, vicariam aliquam operam præſtabant[z].

Hæ Bullæ aureæ, ex omnibus, quæ jam reſtant, germanæ antiquitatis monumentis, rariſſimæ ſunt. Quippe quæ a foſſoribus egenis atque eſurientibus haud citius reperiri, quam

in

---

[y] In Verr. l. 1. 58.

[z]

D. M.	D. M.	D. M.
P. AEL. AVG.	FASTVS. AVG. LIB.	T. AELIVS. CRISPINVS.
LIB. AGATHE.	ADIVTOR. AB. EPIS	AVG. LIB. ADIVTOR
MERI. ADIVT.	TVLIS. &c.	A. RATIONIBVS. &c.
AB. EPIST. LAT.		

Has inſcriptiones una cum multis aliis ejuſdem generis videre licet apud Fabret. *Inſcript. Antiqu.* p. 345.

in uſus proprios converti, atque aurifici ſtatim pro auri tantilli pondere, vendi ſolent. Etenim præter hanc unam, alteramque, quæ Romæ adhuc aſſervari dicitur, haud aliam uſpiam extare credo. Alterius vero illius effigiem in lucem edidit Cauſæus[a]; huic noſtræ ſimillimam, ſive eandem potius, niſi quod illa CATULI nomen inſcriptum præferat, noſtra nullo nomine litteriſve ſignata ſit. Ex hac autem rerum inter ſe alias ſimillimarum differentia, conjectare poſſumus, iſtam nominis inſcriptionem, de qua nullam prorſus apud veteres mentionem animadverti, non antea fieri ſolitam, quam puer toga jam virili ſumpta Bullam depoſuiſſet, Laribuſque dicaſſet; noſtramque propterea nomine carere, quod puer, qui eam geſtaſſet, antequam eam ætatem attigiſſet, morte præreptus eſſet.

Bulla noſtra ex duabus auri puriſſimi laminis rotundis confecta eſt, quæ a tertia item lamina ſublonga, at in ſeſe reflexa ſeu duplicata, et ſculptili opere ornata, claviculorum trium aureorum ope, ſuperne connectuntur. Hæ vero laminæ rotundæ ex omni alia parte a ſe invicem jam diviſæ ſunt, quas tamen margine quodam conjunctas olim fuiſſe conſtat, ut remedia, opinor, aliqua intus caperent, quæ ad valetudinem pueri tuendam valuiſſe credebantur; quibuſque incluſis, lamina ſuperior, globuli ad inſtar, convexa apparuit, qualem illam videlicet in ſtatuis antiquorum Bullatis, Romæ adhuc extantibus, videmus[b].

Bullæ noſtræ, ut primum reperta fuit, hiſtoriolam, italica lingua conſcriptam, ad eruditum Baudelotium, Academiæ

---

[a] Vid. Muſ. Roman. Mich. Cauſæi. p. 103. Fig. 6.

[b] Plutarchus item Bullam, *lunæ dimidiato orbe fulgenti* ſimilem dicit. *Quæſt. Rom. p.* 388. *B. Edit. Par.*

Pariſienſis ſocium, miſerat Ficcoronius; cujus quidem epiſtolam, una cum Diſſertatiuncula quadam de Bullæ aureæ uſu atque origine in lucem poſtea edidit Baudelotius; in qua Bullam ipſam non *a puero, ſed Imperatore aliquo in triumpho* geſtatam eſſe declarat, propterea quod et magnitudine et pondere, ut ei videtur, majore eſſet, quam ut a puero commode geſtari poſſet[c]. Hanc autem opinionem vir iſte doctus a Cauſæo ſumpſiſſe videtur; qui Bullam eam alteram, Catuli nomine inſcriptam, in lucem antea emiſerat, atque a Q. Lutatio Catulo, C. Marii in triumpho Cimbrico Collega, uſurpatam eſſe cenſuerat[d]. Montfauconius item, eundem Cauſæum ſecutus, et Bullæ ejuſdem figuram in Theſaurum ſuum transferens, de Bullis eam *triumphalibus* fuiſſe exiſtimat, ob cauſam ſcilicet iſtam, a Baudelotio allatam, quod ponderoſa nimis eſſet, quam quæ puerili ætati conveniret[e]. At vero hanc hominum, doctiſſimorum licet, opinionem, mihi nullo modo probari fateor: primum, quod Bullas ejuſmodi puerili ætati parum congruas eſſe; deinde, quod a *Triumphantibus* omnino geſtari ſolitas, affirmant: quorum neutrum quidem, quantum ipſe inveſtigare potuerim, ulla omnino vel monumentorum vel ſcriptorum veterum fide niti reperio.

Primum quod attinet, bullam hanc noſtram, perinde ac alteram iſtam a Cauſæo editam, cum germanis puerorum bullis et forma et magnitudine penitus congruere, perſpicuum eſt; primum ex Statuis iſtis bullatis, quarum permultæ adhuc Romæ extant[f]; deinde ex eis, quas Sponius, Begerus, alliique aliique in libris ſuis deſcriptas exhibuerunt[g]; tum ex pictura item vitrea, infra a me deſcribenda; in qua bullam de pueruli collo, eadem plane magnitudinis proportione ac noſtram, dependentem videmus. Neque ullo modo incommodum, aut a puerili ætate alienum cenſeri poteſt, ejuſmodi ornamentum haud unciæ pondus exſuperans, a pueris uſque ad annum ætatis decimum ſextum geſtari ſolere.

---

[c] Vid. Hiſt. Acad. Pariſ. Inſcript. Vol. 3. p. 230.

[d] Muſ. Roman. p. 103.

[e] Antiq. Tom. 3. par. 1. l. 2. c. x.

[f] Statuæ puerorum Bullatæ dicuntur, quibus Bulla marmorea de collo ita dependet, ut a pueris ipſis ex auro revera geſtata eſſet. Iſtiuſmodi ſtatuam Æmilio Lepido

Præterea, quod viri iſti docti affirmant, bullam videlicet auream a Triumphantibus geſtari ſolitam; etſi ab omnibus profecto, qui de ea ſcripſerunt, idem quoque declarari video, mihi tamen in hanc rem quam diligentiſſime inquirenti, non modo dubium, ſed falſum plane eſſe apparet; documentumque ſane inſigne præbet, quam facile monumentorum horum interpretes, in rebus præſertim obſcurioribus, opinionem ab auctore aliquo probato ſuſceptam amplecti, atque alius alium abſque hæſitatione ulla ſequi ſolent. Etenim omnes, hanc ſuam de bullis triumphalibus notionem, ex unico tantum atque incerto illo quidem Macrobii teſtimonio confirmant, quod his verbis traditur; "Tarquinius Priſcus Rex tertius ab Hoſ-
" tilio, quintus a Romulo, de Sabinis egit triumphum, quo
" bello filium ſuum annos quatuordecim natum, quod hoſtem
" manu percuſſerat, et pro concione laudavit, et bulla aurea
" prætextaque donavit; inſigniens puerum ultra annos fortem
" præmiis virilitatis et honoris. Nam ſicut prætexta magiſtra-
" tuum, ita bulla geſtamen erat Triumphantium, quam in

Lepido puero, in Capitolio S. C. poſitam legimus; quod in prætextæ annis in aciem progreſſus, hoſtem interemit, civemque ſervavit. [Val. Max. l. 3. c. 1.] Cujus quidem generis ſtatuas ſane multas, in Nobilium palatiis, Villiſque Romæ adhuc extantes vidi.

[g] Vid. Spon. Miſcell. Erud. Antiqu. p. 299. it. Beger. Theſaur. Brand.

" triumpho præ ſe gerebant, incluſis in eam remediis, quæ " crederent adverſus invidiam valentiſſima. Hinc deductus " mos, ut bulla et prætexta in uſum puerorum nobilium " uſurparentur[h]." Ex quibus verbis, hoc imprimis notandum; quod Macrobius de bullæ origine hoc loco diſputans, ſententiam eam, non ut ſuam aut certam, ſed unam ſolummodo ex multis proponat; quæ tamen ab eo poſtea rejecta eſt. Deinde, quod morem eum bullæ in triumpho geſtandæ, ante Tarquinii tantum ætatem obtinuiſſe dicat: neque apud alium quemlibet ſcriptorem antiquum, de bullis hiſce triumphalibus, mentionem omnino ullam animadverti.

Plutarchus contra ſcribit, " Romulum, cum Veientes prælio " fudiſſet, eorum Ducem provectæ ætatis in triumpho captivum duxiſſe, ſed puerili veſtitu propterea indutum, quod " præter ætatem imperite et pueriliter rem geſſiſſe putaretur: " idque ad ſuam uſque ætatem manſiſſe, ut triumphantes, " cum ob victoriam partam ſacrificarent, ſenem quendam " prætexta et bulla puerili, ludibrii cauſa ornatum, per Forum in Capitolium ducerent[i]." Ex quo apparet, neque Romuli neque Plutarchi deinceps temporibus, bullam a Triumphantibus omnino geſtatam eſſe, ſed ſeni cuidam ridiculo, per jocum ſolummodo, in triumpho tributam: unde in proverbii conſuetudinem veniſſe videtur, ut ſiquis ætate provectior inepte aliquid feciſſet, is bulla dignus appellaretur, ſecundum iſtud Juvenalis, in Criſpinum illudentis,

—— *Dic Senior, Bulla digniſſime*[k].

---

[h] Saturn. l. 1. 6.

[i] In Vit. Romul. p. 33.

[k] Sat. 13. v. 33.

Ornamenta porro Triumphalia, Maſſiniſſæ olim regi a populo Romano miſſa, a Livio ſigillatim omnia enumerantur; aurea videlicet *corona*, *aurea patera*, *ſella curulis*, *Scipio eburneus*, *Toga picta*, *et Tunica palmata*: quæ cum Scipio ille Africanus, populi juſſu, regi traderet; addidit, inquit Livius, verbis honorem; *neque magnificentius quidquam Triumpho apud Romanos, neque Triumphantibus ampliorem eo ornatu eſſe*[l]*:* in quo tamen ornatu bullam auream locum nullum habuiſſe videmus.

Quod argumentum vero noſtrum quam maxime confirmat, puerorum bullatorum ſtatuæ, ut dixi, permultæ adhuc extant, at nulla tamen Triumphantis bullati effigies uſpiam viſa eſt: cumque in marmoribus, arcubus triumphalibus, nummis, columniſque antiquis, Triumphantium interdum figuræ in ipſo triumphandi actu curruque exſculptæ reperiuntur, bulla tamen aurea nuſquam apparet; quæ cum ſupra togam de collo dependere ſoleret, nec omitti nec abſcondi poterat, ſi ad Triumphantium omnino ornatum pertinuiſſet[m]. At vero bullas iſtas pueriles, maximo ſemper apud Romanos in honore fuiſſe, accepimus. Bello enim Punico, cum ſumma pecuniæ inopia premerentur, ærariumque prorſus exhauſtum eſſet, Senatus decrevit, " ut quicquid auri argenti æriſve ſignati domi " habuerint, id omne in publicum conferrent, ita tamen ut

---

[l] Liv. l. 30. 15.

[m] Pierius autem Valerianus, de Bullæ aureæ uſu diſputans, Triumphatoris ſane, curru triumphali invecti, effigiem exhibuit, cui Bulla e collo dependet. Illa vero, ex nullo monumento vetere deſumpta, ſed ad argumentum ſolummodo pro more ſuo illuſtrandum inventa, atque ex auctoris ipſius ingenio penitus ficta eſt: cujus quidem ſpeciem ornatumque omnem, a germano Triumphantium veterum habitu omnino abhorrere, conſtat.

Vid. Pier. Valer. Hieroglyph. de Bull. p. 301.

“ anulos ſibi quiſque et filio bullam relinquat [n].” Sertorius denique, cum in Hiſpania bellum contra Romanos gereret, quo Hiſpanorum animos ſibi devinciret atque in fide ſua retineret, prætextam bullamque auream liberis eorum, Romano more geſtandam, dediſſe traditur [o].

Bullæ vero aureæ loco, Libertinorum, civiumque pauperiorum filios, ſignum quoddam ejuſdem formæ, ſed ex corio factum, geſtare conſueviſſe legimus ; de quo Juvenalis,

——— Etruſcum puero ſi contigit aurum,
Vel nodus tantum, et ſignum de paupere loro [p].

Sed pauperiores etiam iſti, ut modo dictum eſt, quum ex rerum ſuarum anguſtiis emergere cœpiſſent, bullam ſibi auream pro libitu ſumpſiſſe videntur. Cujus quidem figura ſemper rotunda fuit ; ita ut ea omnia, quæ alia quavis forma, bullarum vero nomine, Montfauconius cæterique exhibuerunt, ad amuletorum claſſem Bonannius omnino referenda putat [q]: quæ pro parentum arbitrio, et forma et materia inter ſe diſcrepantia, puerorum collis ſuſpendi ſolebant.

Ab his autem bullis, ornamenta balteorum cingulorumque militarium deaurata, ſeu acupicta, quæ rotunditate et colore ſimilitudinem quandam præ ſe ferebant, a ſcriptoribus antiquis bullæ vocantur.

[n] Liv. l. 26. 36. it. Flor. l. 2. 6.

[o] Plutarch. in Vit. Sertor. p. 575.

[p] Juven. Sat. 5. 165. it. Macrob. Saturn. 1. 6.

[q] “ In iis enim Ethnici characteres “ magicos ſeu alias res inſerebant, quas “ putabant validiores ad avertandas faſci- “ nationes et morbos : eas inter amuleta “ repono, nequis putet illas ex eo genere “ Bullarum eſſe, quæ e collo puerorum “ nobilium olim dependebant.” *Muſ. Kicherian.* p. 37.

—— Phaleras Rhamnetis et aurea Bullis
Cingula[r] ——
Humerum nodis cui balteus aſper
Subligat[s].

Ubi quas Virgilius, Bullas, Juvenalis et Valerius Flaccus nodos appellant; quippe eodem ſenſu vox utraque uſurpata erat, pro rotundis ſcilicet et convexis operis cujuſlibet particulis, quæ ſupra reliquas e ſuperficie eminebant.

Hinc item clavorum capita rotunda et deaurata, quæ in templorum valvis, divitumve foribus infigi ſolebant, bullas vocari cognovimus.

Juſſin' in ſplendorem dari Bullas has foribus noſtris[t]*?*

bullaſque præterea, ex auro ſolido conflatas, Cicero e templo Minervæ a Verre furto ablatas, commemorat[u].

Atque hinc quoque ſigilla iſta rotunda et ſpecioſa, quæ ex auro vel alia quavis materia, Diplomatibus Epiſtoliſque Imperatorum ac ſummorum Pontificum adnectebantur, a medii ævi ſcriptoribus bullæ appellantur[x]. At vero nomen tandem a ſigillis, ad Chartas ipſas traductum eſt; atque Imperatorum, Pontificumque decreta et diplomata, bullas etiam hodie nominari cognovimus.

---

[r] Virg. Æn. 9. 359.
—Notis fulſerūnt cingula Bullis
Pallantis pueri —— ibid. 12. 942.

[s] Valer. Flacc. Argonaut. 579.

[t] Plaut. Aſinar. 2. 4. 20.

[u] Bullas aureas omnes ex his valvis, quæ erant multæ et graves, non dubitavit auferre, quarum iſte non opere delectabatur, ſed pondere. *Cic. in Ver.* 4. 56.

[x] Du Freſne Gloſſar. οἰκεία ἐσφράγισεν βȣ͂λλῃ.

TABULA III.

SECT. II.

PICTURA hæc vitrea, in qua mulieris ac pueruli imagines coloribus aureis venuſte ſatis expreſſas cernimus, in Tiburis antiqui ruinis, una cum aliis quibuſdam vaſculis, e vitro pariter conflatis, reperta fuit: quæ quidem ex pulchritudine ejus, eorum certe temporum fuiſſe apparet, quibus ars ipſa pingendi haud multum a priſcorum adhuc perfectione deſciviſſet. Ficcoronius, qui figuram ejus ectypam Romæ in lucem edidit, eam ad Alexandri Severi ætatem referendam arbitratur[y]. At comarum ornatus, reticulumque aureum, quo mulieris caput tegitur, antiquitatem quandam ſuperiorem redolere videntur: quippe reticulum vel Republica florente, perinde ac Cæſarum poſtea temporibus, inter muliebria capitis ornamenta recenſitum legimus.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet[z].

Sed mulieris item collum catenula, ſeu monili aureo ornatum eſt; ejuſdem plane generis, ac quod in ollis veterum ſepulchralibus, una cum oſſibus mortuorum interdum conditum reperitur[a]. Quod vero ad rem noſtram magis pertinet, de pueruli collo bulla aurea, ingenuitatis inſigne, dependens cernitur; quæ cum forma, tum magnitudinis proportione, cum bulla iſta germana, quam ſupra exhibui, penitus congruit.

---

[y] In libro Italice conſcripto, Della Bolla d'Oro de'Nobil. Roman. &c. 4to in Roma. 1732. p. 12.

[z] Juven. Sat. 2. 96. Varr. de ling. lat. l. 4. Nonius Marcellus reticulum tegmen capitis muliebre vocat. [De prop. Serm. c. 14.] Servius locum iſtum Virgilii, *Crines nodantur in aurum*, de retiolo aureo intelligit, in quod Didonis comæ colligebantur. [Æn. 4. 138.] Iſidorus autem reticulum, non a rete, ſed quod crines retineret, ita vocari, haud recte arbitratur. Orig. l. 19. 31.

Quinetiam pueruli hujus toga ſingulare quiddam exhibere videtur; nam faſciam quandam latam, baltei ad inſtar, trans pectora ductam, atque alteram inde ejuſdem formæ, deorſum pendentem cernimus. Atqui hanc eandem togæ ſpeciem in aliis item paucis, et virorum et fœminarum ſtatuis obſervavi; de qua tamen nihil omnino quod liquet, a ſcriptoribus traditum reperio. Hoc mihi tamen veriſimile apparet, faſcias haſce, togæ ejus quam *trabeam* vocabant, formam et geſtandæ morem indicare. Trabea enim nihil aliud erat, ac togæ ſpecies quædam, purpureis faſciis, virgiſve, velut trabibus diſtincta; quam ita in geſtando componere ac complicare ſolebant, ut ex faſciis iſtis una ſemper in pectore niteſceret, altera deorſum inde fluere videretur[b]. Trabeam autem ipſam non niſi regum initio geſtamen fuiſſe conſtat[c]; deinde conſulum[d]; tum equitum quoque in ſolenni eorum tranſvectione, a Q. Fabio idibus quintilibus inſtituta[e]. At vero hunc, quem in pictura noſtra videmus, trabeæ geſtandæ morem, non niſi imperatorum poſtea temporibus obtinuiſſe puto; neque a principibus tantum aut conſulibus, ſed a principum item filiis ac propinquis, tunc quidem geſtari cœpiſſe: de quorum fortaſſe numero hunc puerulum matremque ejus fuiſſe credamus. At poſterioribus deinceps ſeculis, togæ hujus honorem nobilibus, divitibuſque promiſcue omnibus pro libitu permiſſum eſſe, ex ſculpturis, ſtatuiſque antiquis hac ipſa trabea ornatis, perſpicuum eſt [f].

---

[a] Vid. Ficcoron. ibid. it. Beger. Theſaur. Brandeb. Tom. 3. p. 426.

[b] Vid. Ferrar. de re veſtiar. l. 2. c. 5. it. Dempſt. Etrur. Regal. Vol. 1. l. 3. c. 26.

[c] Ancilla natus trabeam et diadema
Quirini.
Et faſces meruit, Regum ultimus
ille bonorum. *Juv. S.* 8. 259.
Trabeis uſos accipio reges. Plin. Hiſt. N. l. 8. c. 48. it. l. 9. c. 39.

[d] Ipſe Quirinali trabea, cinctuque Gabino.
Inſignis reſerat ſtridentia limina conſul. *Virg. Æn.* 7. 612.

[e] Liv. l. 9. ad fin. Val. Max. 2. 2.

Permulta vitreorum antiquorum fragmenta, auro coloribuſque variis depicta, ab harum rerum ſtudioſis collecta, atque in publicum edita cognovimus [g]: de quibus librum ſane ſingularem, atque eximia eruditione refertum, vir illuſtris, Philippus Buonarotti, Senator Florentinus, Italica lingua conſcripſit [h]. Ad quem, ab humaniſſimo doctiſſimoque ſene, Salvinio, ipſe olim Florentiæ deductus, ædes ejus vidi, cum Romanorum, tum Tuſcorum veterum ſtatuis, vaſculis, ſculpturiſque egregie ornatas; neque minus tamen ob poſteriorum item ſeculorum inventa celebrandas; nobilia præſertim ſummi iſtius pictoris atque anteceſſoris ſui, Michaelis Angeli Buonarotti opera, a quo conclave quoddam, exquiſito artificio pictum, in iiſdem ædibus oſtenditur.

Auctor autem iſte eruditus fragmentorum iſtiuſmodi vitreorum octoginta circiter accurate deſcripta, in librum ſuum contulit; ſinguliſque diſſertatiunculam adjecit. Horum vero pars maxima a priſcorum temporum Chriſtianis proveniſſe apparet, ut ex Chriſti Apoſtolorumque ejus figuris, opere plerumque rudi ac deformi pictis ſignificatur; quas tamen omnes,

---

[f] Vid. Boiſſard. Tom. 3. p. 92. Montfauc. Vol. 3. l. 1. Tab. 6. fig. 2. item arcus Conſtantini figuras.

[g] Aringh. Rom. Subterran. Tom. 2. p. 265. 403, 689, &c. it. Fabrett. Inſcript. p. 537, 593.

[h] Oſſervazioni ſopr. alcun. Framment. di vaſi antichi di vetro, ornati di figure. Fol. in Firenze. 1716.

nes, ex literis, notiſque ibi adſcriptis, Conſtantini ætate antiquiores eſſe, vir doctus contendit[i].

Sed præter iſta Chriſtianorum vitra, pauca etiam quædam præſtantiora, ac majori artificio elaborata, in eodem libro reperiuntur, ex Gentilium reliquiis et ſupellectile derivata; Deorumque veterum imagines ac ſymbola plerumque exhibentia: quorum quidem unum alterumve, cum forma ipſa et magnitudine, tum picturæ ipſius elegantia, comarumque muliebrium ornatu, huic noſtro quam ſimillimum apparet, atque ex eo vitri pingendi artificio, quod auctor iſte omnium præſtantiſſimum eſſe declarat[k]. Cum hæc vero vitrorum fragmenta, ſemper fere rotunda, interdum concava, ac ſæpe effracta reperiantur; ea non niſi vaſculi cujuſdam majoris partes, et poculorum præſertim fundos fuiſſe, caſu quodam abruptos, a viris doctis affirmari video; quod etſi de nonnullis fortaſſe concedendum ſit, de univerſis tamen nequaquam ſtatuendum arbitror[l].

De hac autem quæſtione, et de vaſculorum ſimul vitreorum apud Romanos uſu, antequam plura diſſeramus, de vitri ipſius origine pauca quædam dicere libet, quæ in tanta rei obſcuritate, ex ſcriptorum veterum monumentis eruere potuerim. “Pars Syriæ eſt, inquit Plinius, quæ Phœnice vocatur, “finitima Judeæ, juxta montis Carmeli radices, cujus in littore arena quædam invenitur, quæ vitro gignendo aptiſſima, “atque unica fere per multa ſecula habebatur. Ad hunc

---

[i] In Prefaz. xi, xii.

[k] Id. Tab. 25. Fig. 3.

[l] Cum certum ſit, figuras haſce nonniſi in fundis poculorum pictas reperiri; ut ex eorum concavitate pluries animadverti. [Fabrett. Inſcript. p. 539.] Poſſo dire, che ſono ſondi di Bicchieri. *Buonar. Præf.* 3.

“ locum fama eſt, navem olim mercatorum nitri appulſam “ eſſe; et cum ſparſi per littus epulas pararent, nec eſſet cor- “ tinis attollendis lapidum occaſio, glebas eos nitri, lapidum “ loco, e navi ſubdidiſſe; quibus accenſis permixta arena lit- “ toris, tranſlucentes nobilis liquoris fluxiſſe rivos, atque “ hanc fuiſſe originem vitri[m].” Hinc Sidon, urbs ejus regionis primaria, atque ob artium multarum præſtantiam, ab Homero ipſo celebrata[n], vitri quoque officinis nobilis, ſpeculorumque inventrix eſſe dicitur[o].

Apud Perſas, ante Alexandri Magni tempora, calices vitreos in uſu deliciiſque fuiſſe liquet: quippe legati quidam Athenienſes ab Ariſtophane Comico inducti ſunt, tanquam a Perſis nuper reverſi, qui Regis iſtius luxum et magnificentiam laudibus extollentes, *ſe vinum ibi dulce e poculis vitreis atque aureis bibiſſe*, narrant[p]. In Ptolemæi quoque Philadelphi pompa Alexandrina, duo calices vitrei, ſive calicum potius vitreorum abaci, e gaza regia ad populum producti memorantur[q]. In Lesbo pariter, vitriariorum officinas eadem ætate extitiſſe, poculumque quoddam vitreum, cui Lesbium nomen erat, apud Græcos in conviviis uſurpatum eſſe, ex epigrammate veteri diſcimus[r]. At poſterioribus deinde ſeculis, hoc vitri fingendi artificium in Ægypto maxime floruit: ubi Strabo, ſe *a vitriariis Alexandrinis* audiiſſe ſcribit, *terram quandam vitrariam reperiri, ſine qua nulla pretioſa, aut variorum colorum opera effici poſſent*[ſ]. Ex quo genere calices ſane iſti fuere, quos

---

[m] Hiſt. N. l. 36. c. 26.

[n] Iliad. Z. 289. ψ. 743. Odyſſ. O. 115.

[o] Sidon artifex vitri. Plin. l. 5. 19. it. l. 36. 26.

[p] Acarn. Act. 1. Scen. 2. v. 74.

[q] Καὶ κυλικεῖα δύο, καὶ, ὑάλινα διάχρυσα δύο. Athenæ. l. 5. c. 7.

[r] Λέσβιον ἐξ ὑέλου, &c. Athen. l. xi. c. xi.

[ſ] Lib. 16. p. 758.

Hadrianus

Hadrianns Imperator, ad Servianum ſcribens, a ſacerdote ſibi Ægyptio donatos ait. " Calices tibi, inquit, allaſſontes[t], " [verſicolores] tres miſi, quos mihi ſacerdos templi obtulit; " tibi et ſorori meæ ſpecialiter dedicatos; quos tu velim feſtis " diebus conviviis adhibeas: caveas tamen ne his Africanus " noſter indulgenter utatur[u]." Neque ex alio genere vitrea quoque iſta fuiſſe videntur, quorum *diverſitate atque operoſitate*, *Tacitus Imperator* delectatus eſſe memoratur[x].

Ab Ægypto igitur, a Romanis demum ſubacta atque in provinciam redacta, immanis iſte vitreorum luxus, una cum ceteris Alexandriæ deliciis, Romam præcipue invectus apparet. Nam ante id tempus rara admodum de vitri uſu aut pretio, apud ſcriptores Latinos mentio reperitur[y]. Sed a primis uſque Cæſarum temporibus, pocula vitrea ſeu cryſtallina, ut ſæpe eadem vocantur, et principibus et divitibus item quibuſlibet ſummo in pretio fuiſſe certiſſimum eſt. " Cum Auguſtus, ut " a Seneca memoriæ proditum eſt, apud Vedium Pollionem " cœnaret, unus ex ſervis fregerat ejus cryſtallinum. Rapi " eum juſſit Vedius, nec vulgari quidem periturum morte; " nam murænis objici jubebatur, quas ingens piſcina contine- " bat——evaſit e manibus puer, et confugit ad Çæſaris pe- " des; nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret, nec eſca " fieret. Motus eſt novitate crudelitatis Cæſar, et illum qui-

---

[t] Vox Græca Αλλάσσοντες, allaſſontes, idem ſignificat ac colorem mutantes, vel ut hic explicatur, verſicolores, quod quidem verbum interpretationis gratia in margine adſcriptum, in textum inde irripſiſſe videtur.

[u] Flav. Vopiſc. in Saturnino. c. 8.

[x] Vid. eund. in Tacito. c. xi.

[y] Cicero autem, inter merces ex Ægypto Romam advectas, chartas, lintea, vitrum, recenſet: [Pr. Rab. Poſth. c. 14.] de vitro autem, ante id tempus, ne verbum quidem a Romano aliquo dictum memini.

“ dem mitti, cryſtallina autem omnia coram ſe frangi juſſit, complerique piſcinam [z].”

Tiberii deinde principatu, illud vitri temperamentum Romæ excogitatum fertur, ut flexibile eſſet: de quo celebris ſane hiſtoria a ſcriptoribus tradita eſt. “ Faber fuit, inquit Petronius, qui vitrea vaſa fecit tenacitatis tantæ, ut non magis quam aurea vel argentea frangerentur : quum ergo phialam hujuſmodi de vitro puriſſimo, et ſolo, ut putabat, dignam Cæſare fabricaſſet, cum munere ſuo Cæſarem adiens, admiſſus eſt. Laudata eſt ſpecies muneris, commendata manus artificis, acceptata devotio donantis. Faber, ut admirationem intuentium verteret in ſtuporem, et ſibi plenius gratiam conciliaret Imperatoris, petitam de manu Cæſaris phialam recepit, eamque validius projecit in pavimentum, tanto impetu, ut nec ſolidiſſima et conſtantiſſima æris materia maneret inlæſa. Cæſar autem ad hæc non magis ſtupuit, quam expavit. At ille de terra ſuſtulit phialam ; quæ quidem non fracta erat, ſed conliſa ; ac ſi æris ſubſtantia vitri ſpeciem induiſſet. Deinde martellum de ſinu proferens, vitrum correxit aptiſſime, et tanquam conliſum vas æneum, crebris ictibus reparavit. Quo facto ſe cœlum Jovis tenere arbitratus eſt ; eo quod familiaritatem Cæſaris, et admirationem omnium ſe promeruiſſe credebat. Sed ſecus accidit. Quæſivit enim Cæſar, an alius ſciret hanc condituram vitrorum ; quod cum negaret, eum decollari præcepit Imperator, dicens, quia ſi hoc artificium innoteſceret, aurum et argentum vileſcerent quaſi lutum [a].” Eandem hiſtoriolam Dio, ſed confuſe ac abſurde narrat, de phiala ſcilicet, non *conliſa* ſed

---

[z] Sen. de ira. l. 3. c. 40. Vid. it. Dio. l. 54. p. 537. it. Plin. Hiſt. N. l. 9. c. 23.

[a] Petron. Sat. p. 189. Edit. Var.

fracta, atque a Fabro ſtatim de integro refecta[b]: ad eandem quoque Plinius alludit, at *famam ejus crebriorem*, *quam certiorem* fuiſſe dicit[c].

Claudio porro imperante, vulgo dici ſolitum legimus, *eum qui vaſcula vitrea vel fracta donaret*, *civem Romanum fieri poſſe*[d]. Ac Neronis ætate, ut Plinius ſcribit, ea vitri fingendi ars reperta fuit, quæ modicos duos calices, quos Pterotos vocabant, *H-S ſex millibus* venderet[e]. Hac eadem ætate, Seneca eam plane vitri conditur am deſcribit, quam in officinis noſtris hodie uſurpatam videmus. Quippe contra Poſidonium Stoicum artes quibus vita utitur, non a Philoſophia repertas eſſe contendens, "cuperem, inquit, Poſidonio vitrarium aliquem oſtendere, qui ſpiritu vitrum in habitus plurimos format, qui vix diligenti manu effingerentur. Hæc inventa ſunt, poſtquam ſapientem invenire deſivimus[f]." Ex quo, iſtud vitri artificium Romæ tunc recens eſſe, neque Poſidonio, qui Pompeii temporibus floruit, cognitum, indicari videtur. At vero paucis deinceps annis, Plinius calicum vitreorum uſum *argenti aurique metalla pepuliſſe*, ait[g].

Jam poculorum iſtorum fundos auro coloribuſque variis depingi ſolitos eſſe, ex fragmentis eorum, quæ adhuc reſtant, apparet; ita tamen, ut imaginum ibi pictarum, litterarumque inſcriptarum formæ, intus uſque converſæ, a bibentibus ſolummodo in ſitu proprio conſpicerentur[h]. Vitri autem pingendi artificium hoc fere modo effectum eſſe creditur. In lamella nimirum vitrea figuras primum, quas vellent, inſtrumento quodam fabrili exarare, atque inſculpere ſolebant; tum in ſculpturæ hujus ſulcos materiem quandam vitream ſive encauſticam, quam ſmaltum vulgo vocant, coloribus variis, at aureo præſertim imbutam, infundebant; ita tamen, ut luminis ſimul et umbræ rationem aliquam ſervarent; totam denique vitri lamellam, hoc modo depictam, encauſto rurſus alio craſſiori a tergo penitus operiebant: atque hoc quidem optimum vitri pingendi artificium, quod Romæ unquam viguiſſet, exiſtimatur[i]. Neque alio ſane modo hæc noſtra Tabella confecta apparet; cujus imagines aureo penitus colore, at reliqua vitri pars, ſeu picturæ, ut dicitur, fundus purpureo ſeu violaceo, depictus eſt.

---

[b] Dio. l. 57. p. 617. E.

[c] Plin. l. 36. 26.

[d] Dio. l. 60. p. 676. D.

[e] Plin. l. 36. 26. Per calices iſtos Pterotos, nihil aliud intelligi videtur, ac calices anſa utrinque alarum quaſi modo inſtructos. Qui ſex millibus nummûm ſeſtertiorum, ſeu 50 circiter libris noſtræ monetæ vendi dicuntur; ob recentem forſitan ea ætate anſas fingendi, et cum calice conjungendi inventionem——

[f] Senec. Epiſt. 90.

[g] Lib. 36. 26. Alexandri Severi temporibus, inter Domûs Auguſtæ Officia, Præpoſitum a Cryſtallinis, in marmoribus antiquis commemoratum invenimus.

Gruter. p. 474. 4.

At non eadem arte aut diligentia reliqua iſta, quæ diximus, Chriſtianorum vitra effecta erant: ſed in tenui quodam auri folio, lamellæ vitreæ ſuperimpoſito, figurarum lineæ extremæ tantum ac præcipuæ, opere ſimplici ac rudi exaratæ eſſe videntur. Clemens Alexandrinus pocula hujuſmodi *vitrea, cælata aut depicta, a Chriſtianorum menſis* exulare jubet; quippe quæ propter fragilitatem et timere ſimul ac bibere docent[k]. Ex permultis tamen vitrorum eorum fragmentis, quæ in curioſorum adhuc Muſeis conſervantur, vel Priſcos iſtos Chriſtianos a luxu iſto haud immunes fuiſſe, liquet.

---

[h] Vid. Buonarott. Prefaz. p. iii, iv.

[i] Vid. ibid.

[k] Pædag. l. 2. c. 3. De hoc Chryſtallinorum frangendorum timore ita quoque Martialis;

Frangere dum metuis, frangis Cryſtallina: peccant
Securæ nimium, ſollicitæque manus.
l. 14. iii.

Hæc vero vitrorum Chriſtianorum fragmenta, in antiquis Romæ Cœmeteriis, quæ Catacumbæ vocantur, cuncta fere reperiuntur; in calce plerumque murali infixa, et juxta loculorum eorum ora ſeu aperturas, in quibus mortuorum cadavera ſepulta jacent. Quæ quidem haud aliam ob cauſam ibi poſita eſſe exiſtimantur, quam ut in cryptis iſtis ſubterraneis et tenebricoſis, quæ in infinitos viarum meatus, vicorumque quaſi diverticula diſtribuuntur, mortuorum quiſque ſuorum ſepulchra, ſigno aliquo proprio dignoſceret, et pia ibi defunctis ſeu anniverſaria quædam officia præſtaret[l].

Ex his autem vitri fragmentis, etiamſi nonnulla, ut modo dixi, poculorum quondam fundos fuiſſe concedamus, non ita tamen de omnibus ſtatuendum eſt. Vitrum enim noſtrum, nec ſuperficie concavum, nec ulla orbis ſui parte effractum, ſed circulo aureo, tanquam opus quoddam integrum ac perfectum, ab opifice ipſo circumductum eſſe apparet: neque ob aliam certe cauſam in hunc modum pictum erat, quam ut Fœminæ cujuſdam nobilis et filioli imagines ad vivum, ut dicitur, exhiberet, poſteriſque mandaret. Quippe alia quoque ejuſdem omnino generis ac formæ vitra, imaginibus pictis ornata, ex Romæ antiquæ ruinis conſervata, atque in libris interdum deſcripta animadverti: quorum quidem unum, eximie pictum, atque Herculis ſymbolis inſtructum, Caninius protulit, idque Commodi Imperatoris effigiem præ ſe ferre ſuſpicatur[m]. Duas præterea alias, hac eadem magnitudine, imagines, in vitro affabre pictas, unam Tibicinis, alteram pueruli, Ficcoronius ſe tenere ſcribit, atque ejuſmodi eſſe ait, ac quæ ab hominibus curioſis in armariis plerumque condi ſolent [n].

---

[l] Vid. Buonarott. Præf. 8.

[m] Iconograf. Tab. 82. p. 112.

Hæc encauſtica pingendi ars apud Græcos ſane vetuſta erat. Pamphilus enim, Apellis præceptor, et pinxiſſe encauſtica fertur, et docuiſſe Pauſiam Sicyonium, primum in hoc genere nobilem; qui parvas tabellas puerosque præſertim pingere ſolebat [o]. Romæ etiam inſignes quoſdam imaginum pictores Reipublicæ temporibus floruiſſe accepimus. Etenim Lala quædam, ut Plinius ait, *Virgo Cyzicena, et penicillo pinxit, et ceſtro in ebore, imagines mulierum maxime*——arte vero tanta, ut multum manupretio antecederet celeberrimos eadem ætate imaginum pictores, Sopylon et Dionyſium, quorum tabulæ pinacothecas implebant [p]. Epicuri denique vultum, *in parvis quibuſdam tabellis* depictum, diſcipuli ejus ſecum circumferre ſoliti dicuntur [q]. Hujuſmodi autem imagines in tabellis vitreis perſæpe confectas fuiſſe, propterea conjicere licet, quod *nulla alia materia*, uti ex eodem Plinio diſcimus, *ſequacior, aut picturæ accommodatior* ea ætate habita fuit [r].

Sect. III.

PRÆTER bullam iſtam auream, de qua modo diſſerui, alia item quædam, diverſæ prorſus formæ ac generis, a pueris olim Romanis, amuletorum nomine, geſtata eſſe dixi. Apud veteres enim iſtos opinionem quandam ridiculam et ſuperſtitioſam obtinuiſſe cognovimus, de invidiæ oculique maligni ictu quodam venenato, qui tenera præſertim infantulorum corpora affligere, variiſque morbis cruciare ſolebat. Contra hanc igitur peſtem multa ab eis remedia excogitata ſunt, quæ a liberis ſuis geſtata, atque e collo potiſſimum ſuſpenſa, incolumes eos ab omni faſcinatione præſtare credebantar. Sed ex hac omni amuletorum claſſe, nihil certe valentius habebatur, quam pudendi virilis effigies, ex auro interdum, ære, ebore, aut corio etiam facta[f]. De qua quidem re diſputare, ſeu loqui omnino puderet, ni non eos modo omnes, qui Romanorum ſibi ritus explicandos ſumpſiſſent, ſed et ſanctos etiam Eccleſiæ primævæ patres, quo obſcænam hanc Gentilium ſuperſtitionem ludibrio darent ac deteſtabilem redderent, de ea libere diſſeruiſſe, vidiſſem.

---

[n] In libro Della Bolla d'oro, &c. p. 12.

[o] Plin. l. 35. c. x.

[p] Ibid.

[q] Ibid. c. 2. ubi M. item Varronem ſeptingentorum illuſtrium imagines cuidam ſuo volumini inſeruiſſe ſcribit.

[r] Id. l. 36. c. 26.

Quamobrem duas rei ejus turpiculæ figuras hic delineatas damus: quarum altera Romæ mihi in manus incidit; altera Rutupiis[t], in agro Cantiano reperta, ab amico meo erudito,


Ex ære


Ex ære

---

[f] Pueris, inquit Varro, *res turpicula* in collo quædam ſuſpenditur, nequid obſit, bonæ ſcævæ cauſa. *De Ling. Lat. l.* 6.

[t] Rutupiæ olim Urbs, Caſtrum, Portuſque Romanorum. De quibus Vid. Batteley Antiquitat. Rutupin.

et in rebus antiquis exquirendis admodum curioſo, Gul. Warren LL. D. Aulæ Trin. apud Cantabrigienſes ſocio, mihi donata eſt. Quod utraque vero a pueris olim geſtata fuiſſet, ex anulis ſuperne annexis perſpicuum eſt; quorum alter diuturno plane uſu haud parum attritus apparet.

Permultas ſane ejuſdemmodi figuras in eruditorum paſſim muſeis conſervatas, atque in libris quoque deſcriptas vidi [u]; atque unam quoque alteramve, a viris graviſſimis, Montfauconio et Bonannio in lucem editam [x]. Rem vero ipſam nominibus variis ab antiquis celebratam invenimus, et Phallum, Mutinum, Tutinum, vel ab effectu, quem edere putabatur, Faſcinum plerumque a faſcino repellendo, appellatam [y]. Quippe figuræ hujus turpitudine repulſus, ut Plutarchus ait, *malignorum intuitus, ab homine ipſo avertebatur* [z]: ſive, ut alii dicunt, Deus ipſe Priapus, tanquam faſcinantium omnium, ſeu invidentium vindex, ultorque præſens, colebatur [a].

At vero Faſcino, ſeu pudendo virili, velut generis humani auctori, cultum quendam divinum a pleriſque gentibus tributum eſſe conſtat [b]. In Ægypto, ut apud Herodotum eſt,

---

[u] Vid. Memorie del Muſeo di Lod. Moſcardo. in Pad. 1656. it. Mich. de la Chauſſe ſive Cauſæi Muſ. Romam. Fol. Romæ. 1707. it. Beger. Theſaur. Brandeb. Vol. 3. p. 427.

[x] Montfauc. Antiqu. Vol. 3. par. 1. l. 2. it. Muſeum Kirch. p. 37.

[y] — —— Minuſve languet Faſcinum.
Hor. Epod. 8. 18.

Pomarii tutela diligens, rubro
Priape, furibus minare Mutino.
Priapeia. 7.

[z] Sympoſi. l. 5. p. 681, 682.

[a] Diod. Sic. p. 78. D. it. p. 214. Edit. Hanov.

[b] Ibid. p. 78. Neque alium ſane fuiſſe antiquiſſimum illum Moabitarum Deum, Baal-Peor ſeu Beelphegor ac Romanorum Priapum, ab eruditorum pleriſque exiſtimatur. *Iſtiuſmodi Idololatria,* inquit Hieronymus, *erat in Iſrael, colentibus maxime feminis Beelphegor, idolum tentiginis, quem nos Priapum poſſumus appellare.* Hieron. in Hoſeam, c. vi. it. in c. ix. Oper. T. 3. p. 1261. verſ. fin. Vid. it. Calm. Dictionar. in voce Baal-peor.

“ in Bacchi ſacris, mulieres ſtatuas quaſdam cubitales per pagos circumferebant, quæ nervis ſeu fidiculis intus diſpoſitis tractæ, membra ſua movere, ſpontaneo quaſi motu, videbantur: Faſcino præſertim, quod reliquam fere ſtatuam magnitudine exæquabat, hinc inde nutante [c].” Hæc eadem Phalli pompa, uti vocabatur, ab Ægyptiis ad Græcos traducta eſt, qui Euſebio teſte, pudendum virile in *Bacchi ſacris myſteriiſque*, Phalli nomine circumferre ac venerari ſolebant [d]. Qui vero Cypriæ Veneri initiabantur, eos *certas quaſdam ſtipes Deæ intuliſſe* legimus, et retuliſſe Phallos, a ſacerdotibus ſibi donatos, tanquam propitii numinis ſigna [e].

Hic idem Faſcini cultus e Græcia deinde Romam tranſiit, ubi Phalli ingentis erectique ſpecies, e columna marmorea ſeu ligna exſculpta atque extans, qualis in ſculpturis interdum antiquis cernitur, ſub Priapi, Mutini, vel Faſcini nomine, divinos plane honores obtinuit. “ Mutini Tutini ſacellum, inquit Feſtus, fuit in Veliis adverſus murum Muſtellinum in angiportu, de quo aris ſublatis balnearia ſunt facta domus Cn. Domitii Calvini; cum manſiſſet ab urbe condita ad principatum Auguſti Cæſaris inviolatum, et ſancte cultum fuiſſet, ut manifeſtum eſt ex Pontificum libris. Nunc Ædiculam habet ad ſextum et viceſimum, dextra via, juxta diverticulum

---

[c] Herodot. l. 2. p. 109. Ed. Lond.

[d] Præpar. Evang. l. 1. Sect. 1. it. Plutar. de divitiar. cupiditat. p. 527. D. Hinc Phallophororum, qui Phallos ſcilicet iſtos in ſacris Dionyſiacis portabant; itemque Ithyphallorum nomina apud antiquos ſcriptores occurrunt. [Diod. Sic. l. 3. p. 214.]

— *Sed truncum forte dolatum*
Arboris antiquæ, numen venerare Ithyphalli,
Terribilis membri, medio qui ſemper in horto
Inguinibus puero, prædoni falce minatur.
Columel. de Hortor. cult.

Suidas autem Muſicorum genus quoddam nominibus illis denotari dicit, qui in Dionyſii ſacris carmina quædam Phallica, cum geſticulationibus mimicis cantare ſolebant. Vid. it. Athenæum. l. 24. c. 4. it. Cæl. Rhodig. l. 7. c. 16.

[e] Arnob. con. Gent. l. 5.

“ viæ; ubi et colitur, et mulieres ſacrificant in ea togis prætextis velatæ[f].” Quid autem in ſacrificiis iſtis a mulieribus factum erat, a ſanctis, ut dixi, Patribus, in nefandos hoſce ritus invehentibus, diſcere licet. *Mutini immanibus pudendis*, inquit Arnobius, *horrentique Faſcino, veſtras inequitare matronas, et auſpicabile ducitis et optatis*[g]. Lactantius item, *in ſinu ejus pudendo nubentes præſidere*, ait, *ut illarum pudicitiam prior Deus delibaret*[h]. Auguſtinus quoque ſcribit, *novas nuptas ſuper ejus immaniſſimum et turpiſſimum faſcinum ſedere juſſas eſſe, more honeſtiſſimo ac religioſiſſimo matronarum*[i]. Theophilus denique Alexandriæ Epiſcopus, in cultum hunc inſanum non verbis ſolummodo illudere contentus, Phallos ipſos, ex Templorum veterum adytis extractos, per *medium forum portari*, ac *gentium myſteria ludibrio palam omnibus exponi* juſſit: ſed ingentem inde tumultum a Gentilibus excitatum, nec ſine magna Chriſtianorum ſtrage poſtea ſedatum legimus[k].

Phalli autem duplicis ſpecies iſta, quam in figurarum noſtrarum altera cernimus, manuſque ſingularem in modum complicata, ut rei obſcœnitatem ac turpitudinem illuſtriorem reddunt, ita amuleti quoque ipſius vim ſine dubio augere putabantur. Caligula manum ſuam in eundem modum formatam, Caſſio Chæreæ, ut Suetonius ſcribit, *ludibrii cauſa, oſculandam offerre conſuerat:* ob quam quidem contumeliam a Caſſio poſtea occiſus eſt[l].

---

[f] Vid. in voce Mutinus.

[g] Arnob. con. Gent. l. 4.

[h] Divin. Inſtitut. l. 1.

[i] De Civit. Dei, l. 7. c. 24. it. l. 6. c. 9.

[k] Sozomen. Hiſt. Eccleſ. l. 7. c. 15. Ingens Phallorum fictilium numerus, et molis quidem horrendæ, in agro Etruriæ Cluſino, A. D. 1726, a foſſoribus quibuſdam erutus eſt. Unde Templum ibi Priapi olim ſtetiſſe viri eruditi conjiciunt. *Vid. Gor. Muſ. Etruſc.* 144.

[l] In vit. Calig. c. 56.

Quinetiam Faſcinum, non infantium modo et muliercularum Deum, ſed Imperatorum quoque cuſtodem haberi, ac *ſub curru etiam triumphantium*, ad invidiam pellendam, ſuſpendi ſolere, ex Plinio diſcimus [m]. Conſentaneum nempe antiquis illis viſum eſt, ut idem ille Deus, cui generis humani propagandi munus tributum erat, ad noxia item quælibet ab eo arcenda paratiſſimus eſſet. Quod quidem illuſtrari quodammodo videtur a Symbolica quadam apud Cauſæum Priapi effigie, cui Galli Gallinacei caput criſta ornatum, roſtri vero loco, Faſcinum ingens datur: cujuſque in baſi litteris Græcis inſcriptum legitur Σ□ΤΗΡ Κ□ΣΜοΥ. *Servator orbis.* Quæ omnia vir doctus ita interpretatur: "Gallum ſcilicet, avem "ſoli ſacram eſſe; ſolemque generatricis facultatis præſidem; "pudendumque ideo virile Gallinaceo capiti adjunctum denotare, quod a conjunctis ſolis Priapique viribus, animalium "genus omne procreatum et conſervatum ſit, ſecundum phy"ſicum quoddam Ariſtotelis axioma, *Homo hominem generat et* "*Sol* [n]."

In marmore antiquo apud Boiſſardum, inſigne quoddam Priapi ſacrificium, egregio opere exſculptum, atque a mulieribus celebratum cernimus: quarum aliæ aſinum mactant, pateriſque ſanguinem ejus excipiunt. Sacerdos vero pudendum

---

[m] Hiſt. N. l. 28. 4.

[n] Cauſ. Muſe. Romam. p. 125. Aliam item, nec abſimilem ſane Priapi ex ære effigiem Begerus protulit, quæ Galli criſtam capiti impoſitam, faſcinumque tantæ longitudinis præfert, quantæ mulieres, uti ſupra dictum eſt, inequitare facile poterant. Tertiamque ſimul e marmore adjungit, cujus in baſi litteris pariter Græcis inſcribitur.

ΤΩ ΤΗΣ
ΓΕΝΕΣΕΩΣ
ΠΟΙΜΕΝΙ

Vid. Theſ. Brandeb. Vol. 3. p. 261, 266. it. Montfauc. Vol. 1. par. 2. l. 1. p. 28.

Dei floribus ornare, atque unguento aliquo ſeu aqua e vaſculo quodam perfundere videtur. Aliæ florum pomorumque calathos, aliæ vaſcula ſacrificalia capitibus ferre: aliæ tibias inflare; ac cymbala quædam manibus ſublatis quatere; omnes vero, Bacchantium ritu, trepidare, oculoſque et manus ad Dei ſimulachrum certatim tendere videntur[*].

Sed ut argumentum tandem hoc turpiculum dimittamus: ex nefando iſto Mutini cultu, quem uſque ab urbe condita Romæ obtinuiſſe legimus, veriſimile videtur, Romulum ipſum, qui urbis ſuæ opes atque incrementa, ab hominum multitudine, civiumque numero pèndere ſciret, non ſine conſilio quodam civili ac politico ſacrum tam obſcœnum vel inſtituiſſe, vel aliunde exceptum adoptaſſe; ut cives ſcilicet ſui, ex orgiis iſtis Priapeis, furore quaſi fanatico correpti, et religionis pariter ac libidinis ſtimulis accenſi, ad ſobolem procreandam fortius validiuſque incitarentur.

SECT. IV.

AD duas iſtas Faſcini figuras, anulum quendam ſingularem, quem ad amuletorum omnino claſſem referendum cenſeo, adjungere libuit; in parte cujus ſuperna, quæ e medio prominet, itemque in utroque orbiculi latere, hæ voces litteris Græcis inſcriptæ ſunt.

CABAω
PЄICTЄ
ADO

NAIAΛω
AI
MЄIXAH
PBIBA
ΛH

CICINΓЄVΠ
ANφAPANΓH
NЄICOVX

---

[*] Boiſſard. Vol. 1. par. 2. it. Montfauc. ibid.

Ex vocibus hiſce conjunctis etiamſi nullus plane ſenſus elici queat, inſcriptionis tamen formula, anulum noſtrum ex amuletorum eorum numero eſſe oſtendit, quæ in ipſis Eccleſiæ Chriſti primordiis, a Baſilide, Heretico Ægyptio, ejuſque ſectatoribus fingi ac venditari ſolita accepimus. Qui quidem Heretici, ut apud Iræneum eſt, *utebantur magia, et incantationionibus, et univerſa periergia*; *et* CCCLXV *ementitorum cælorum nomina et principia, et angelos et virtutes exponere conabantur*[p]. Hæc autem angelorum ac poteſtatum nomina, una cum vocibus quibuſdam barbaris atque incognitis, in gemmis aut lamellis æneis inſculpere, et tanquam amuleta geſtare ſolebant: quorum permulta in eruditorum adhuc armariis conſervata ſunt; quæ Abraxas vulgo vocantur; eodem videlicet nomine, quo Heretici iſti ſummum Deum invocaſſe feruntur[q].

Sed inter alia vocabula, in gemmis his Abraxeis inſculpta, Dei nomina Hebræa, e ſcripturis ſacris deſumpta, ſemper fere reperiuntur, qualia nimirum in hoc item anulo ea clare ſatis

---

[p] Adverſ. Hereſ. l. 1. c. 23.

[q] Vid. Gemm. Antich. Da Roſſi Vol. 2. Fig. 22, 23. it. Cabinet. de S. Genev. p. 124 it. Montfauc. Antiqu. Vol. 2. par. 2. l. 3. it. Gorlæi Dactylioth. Gemm. 324. &c. in Gemmis autem hiſce Baſilidianis, quæ hodie reſtant, Dei nomen Græcis litteris, non ABRAXAS ſed ABRASAX, plerumque ſcriptum reperitur—

Hereticorum horum doctrina his verbis a Tertulliano ſummatim traditur. “ Baſilides ſummum Deum, *Abraxam*, vocat, a quo mentem creatam, quam Græci, NOVN, appellant; inde verbum; ex illo providentiam; ex providentia, virtutem et ſapientiam; ex ipſis, principatus, et poteſtates, et angelos factos; deinde infinitas angelorum editiones et probolas; ab iſtis angelis, trecentos ſexaginta quinque cœlos inſtitutos, et mundum in honore Abraxæ; cujus nomen hunc in ſe habeat numerum computatum.” [De Præſcript. Heret. p. 250. Edit. Rigalt.] Numeri vero hujus ſupputandi rationem Auguſtinus indicat. In nomine Abraxas, inquit, ſunt ſeptem litteræ, α, β, ρ, α, ξ, α, σ, id eſt, ſecundum Græcam ſupputationem, *unum et duo, et centum et unum et ſexaginta, et unum, et bis centum.* Quæ fiunt in ſumma, *ter centum ſexaginta quinque.* [De Hereſib. in Baſilidiani.]

expreſſa cernimus, in vocibus CABAω, ADONAI, AIΛωAI, Ex angelis autem, Michaelis præcipue nomen, qui eximium quendam cultum apud eos obtinuiſſe fertur, in amuletis hiſce obſervare licet [r], cujus quidem veſtigia hic quoque perſpicua ſunt, in MϵIXAH. Ubi ſculptor, pro ultima littera Λ, litteram P, vel oſcitanter, vel conſulto forſitan poſuiſſe videtur [ſ].

Hæc, inquam, vocabula, apud Hereticos iſtos uſitatiſſima, anulum noſtrum ex eorum diſciplina prodiiſſe oſtendunt : neque illud nos movere debet, quod reliqua prorſus barbara nec omnino intelligibilia ſint ; quippe hoc quoque cum eorundem conſuetudine penitus convenire accepimus. Etenim Sanctus Hieronymus, nomina ab eis uſurpata enumerans, *portenta ea magis, quam nomina vocat ; quæ ad imperitorum et muliercularum animos concitandos*, eos inveniſſe dicit, *ſimplices quoſque terrentes ſono, ut quod non intelligunt, plus mirentur* [t]. Has eaſdem voces Porphyrius, *barbaricas et nihil ſignificantes* [u] ; Apuleius, litteras ignorabiles appellat [x]. Quas ob eam omnino cauſam finxiſſe dicuntur, ut ſuperſtitionem ſuam melius et magica deliria tegerent, ac majorem inde venerationem ſibi conciliarent : in ore nimirum habere ſoliti, *hæc arcana eſſe, neque a multis ſciri*

---

[r] Vid. Montfauc. Vol. 2. par. 2. l. 3. it. Gorl. Dactyl. 343, 353. it. Jo. Chifflet. Abrax. Tab. 4, 6, 21.

[ſ] Hi enim Heretici, quo præſtigias ſuas tenebris melius involverent, voces non modo barbaras, atque incognitas, in amuletis ſuis miſcere, ſed cognitas etiam ac uſitatas corrumpere ſolebant. Quod in hac ipſa voce MEICHAEL, item ac in aliis nonnullis eos revera feciſſe, vir eruditiſſimus J. Chiffletius oſtendit. [Abrax. Prot. p. 43.] Atque eodem modo vox, PϵICTϵ, nonniſi ad CHRISTI nomen referendum videtur, omiſſa tamen prima littera X, nam diphthongum EI pro vocali, I, in antiquis marmoribus, numiſmatibus, ac codicibus MSS. ſæpiſſime uſurpatum eſt ; uti hic in voce MEIXAHL, et alibi in ipſo item CHRISTI nomine animadverti.

[t] Oper. Vol. 4. par. 2. p. 581. Edit. Benedict.

[u] Apud Euſeb. Præp. Evan. l. 4.

[x] Metamorph. l. 2.

poſſe ; *ſed ab uno tantum e mille, et duobus e myriadibus*[y] ; atque hominibus licet ignota, *Deo tamen cognita eſſe* ; *et myſticam quandam rationem continere*[z].

Hæc Baſilidis figmenta ex Ægypto Romam migraſſe conſtat. Nam in gemmis hiſce Baſilidianis, Romanorum interdum Deorum figuras ex una parte, et vocabula iſta abraxea ex altera ; atque in nonnullis, Deorum ſimul Latinorum Ægyptiorumque ſymbola commixta cernimus[a] : ad quod Prudentius ſane alludere videtur,

> *Iſis enim et Serapis et grandi ſimia cauda,*
> *Et Crocodilus, id eſt, quod Juno, Laverna, Priapus.*
> *Hos tu Nile Deos colis, et tu Tybris adoras*[b].

De Baſilide autem ita Sanctus Hieronymus, " Quadringenti, " inquit, fere anni ſunt, quod Chriſti prædicatio fulget in " mundo, ex quo innumerabiles Hereſes tunicam illius conſci-" derunt. Univerſus pæne error de Chaldæo et Syro et Græco " ſermone proceſſerat. Baſilides magiſter luxuriæ et turpiſſi-" morum amplexuum, poſt tot annos ita in Jovinianum, " quaſi in Euphorbum transformatus eſt, ut latina quoque " lingua haberet hereſim ſuam[c].

Hac autem Baſilidis ætate, magicas haſce vanitates non Romæ tantum, ſed apud omnes fere gentes ſummo in honore fuiſſe legimus. De quo præclarum ſane Plinii teſtimonium huc adducere libet. " Hæc, inquit, fraudulentiſſima artium " plurimum in toto terrarum orbe, plurimiſque ſeculis valuit. " Auctoritatem ei maximam fuiſſe nemo miretur, quandoquidem ſola artium tres alias imperioſiſſimas humanæ mentis in " unam ſe redegit: natam primum e medicina nemo dubitat; " ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe, velut altiorem ſanctioremque " medicinam: ita blandiſſimis, deſideratiſſimiſque promiſſis " addidiſſe vires religionis, ad quas maxime etiamnum caligat " humanum genus: atque ut hoc quoque ſuggeſſerit, miſcuiſſe artes mathematicas; nullo non avido futura de ſeſe ſciendi, atque ea e cœlo veriſſime peti credente. Ita poſſeſſis " hominum ſenſibus triplici vinculo, in tantum faſtigii adolevit, ut hodieque etiam in magna parte gentium prævaleat, " et in oriente Regum Regibus imperet[d].

---

[y] Iren. Adv. Hereſ. l. 1. c. 23. it. Epiphan. Hereſ. 24. §. 5. it. Theodor. Heret. Fab. l. 1. c. 4.

[z] Vid. Jamblich. de Myſter. §. 7. c. 4.

[a] Vid. J. Chifflet. Abrax. Prot. Tab. 21, &c.

[b] Contr. Symmach. l. 1. I. v. 868. *grandi Simia cauda*, Hereticorum eorum Deum, *Abraxam*, denotare putatur, quem ſub ea forma in gemmis ſuis deſcribere ſolebant. *Vid. Chifflet. Tab.* 14.

[c] Adverſ. Jovinian. l. 2. Oper. Vol. 4. par. 2. p: 227.

At vero de anulis hiſce magicis, qui morbos, Dæmones, et noxia quælibet avertere credebantur, crebram ab antiquis mentionem factum invenimus. Apud Ariſtophanem, Sycophanti cuidam judicium minitanti, Juſtus reſpondit, *Ego te non flocci facio, nam geſta hunc anulum, ab Eudamo drachma emptum.* Ubi Scholiaſtes, Eudamum iſtum, *Pharmacopolam, vel aurificem eſſe ait, qui anulos phyſicos vendebat, contra Dæmones, ſerpentes, invidiam, atque alia ejuſmodi noxia*[e]. De iiſdem anulis, Antiphanis item, Comici veteris, verſus quoſdam in hunc ſenſum ab Athenæo citatos legimus; *mali jam nihil habeo, et ne habeam precor:*

---

[d] Hiſt. Nat. l. 30. c. 1.

[e] Ὀυδὲν προτιμῶ σȣ, Φορῶ γὰρ πριάμενος Τὸν δακτύλιον τονδὲ παρ' Ἐυδάμȣ δραχμῆς. in Plut. 884.

at ſi quid ventrem mihi aut umbilicum cruciet, anulum teneo, drachma emptum a Phertato[f].

Joſephus, multos a Dæmonibus correptos, ab Eleaſaro quodam Judæo, coram Veſpaſiano Imperatore, ſanatos ſe vidiſſe ſcribit; admoto nimirum Dæmoniaci naribus *anulo quodam medicato*, et Solomonis nomine, carminibuſque nonnullis ab Eleaſaro recitatis, *Dæmones illico per nares hominum extractos eſſe*, declarat[g]. In has autem hominum vafrorum præſtigias, fictaſque anulorum vires, Lucianus more ſuo illudens, *velim modo*, ait, *Mercurius mihi det anulos, qui hujuſmodi vim habeant, primum, ut ſemper valeam et corpore ſano ſim, neque vulneribus, neque malo ulli obnoxius*, &c[h]. Atque alio loco, de *Dæmoniacis, a Syro quodam e Palæſtina* palam ſanatis, loquens, ſe talia milles conſpexiſſe dicit, neque viſu eo terreri, poſtquam *Arabs anulum ſibi dediſſet, ex ferro de cruce factum, carmenque docuiſſet, ex multis nominibus conſtans*[i].

Anulus autem noſter, non ille quidem de ferreis, aut vulgaribus iſtis drachma emptis, ſed ex gemma integra, ſeu lapide Chalcedonio, cæruleo et pellucido, effectus eſt. Qui mole licet prægrandis, at præ circuli tamen exiguitate, nonniſi a puerulo aut muliercula geſtari poſſet. Etenim Romanos, ea magnitudine anulos, qui vel pondere ipſo moleſti eſſent, geſtare ſolitos cognovimus: jam nonnulli, inquit Plinius, *pon-*

---

[f] Ου γὰρ κακὸν ἔχω, μηδ᾽ ἔχοιμ᾽. ἐὰν δ᾽ ἄρα
Στρέφη με περὶ τὴν γαϛέρα, ἢ τὸν ὄμφαλον,
Παρὰ Φερτάτȣ δακτύλιος ἔϛι μοι δραχμῆς. l. 3. c. 35.

[g] Antiquitat. l. 8. c. 2.

[h] In Navig. ſeu Votis. p. 511. Edit. Var. T. 2.

[i] Id. in Philopſeud. p. 338.

dera eorum oſtentant[k]. Atque hinc anulos æſtivos hibernoſque eos habuiſſe, pro temporum ſcilicet diverſitate, diverſæ molis ac ponderis, a Juvenale indicari videtur.

Ventilet æſtivum digitis ſudantibus aurum,
Nec ſufferre queat majoris pondera gemmæ[l].

Singulis hiſce gemmis virtutes quaſdam phyſicas et proprias ab antiquis tributas legimus; quæ ad morbos pellendos, corporiſque aut animi vires augendas valere putabantur. Jaſpis viridis, e collo ſuſpenſa, *ſtomachum firmare, ac calculos urinamque propellere* traditur[m]. Adamas autem *venena irrita reddere, metuſque vans depellere*[n]. Chalcedonium vero, Marbodæus, Poeta vetus, ita deſcribit.

Chalcedon, lapis eſt hebeti pallore refulgens,
Inter Hyacinthum medioximus atque Beryllum,
Qui, ſi pertuſus, digito collove feratur,
Is, qui portat eum, perhibetur vincere cauſas[o].

Has denique gemmas, vel in anulis aureis inſertas, vel ipſas interdum perinde ac Chalcedonium noſtrum, perforatas, atque in anulorum formam converſas, et Græci et Romani, more quodam ab Ægypto deducto, in ſiniſtræ manus digito, qui minimo proximus eſt, geſtare ſolebant. Quippe ab Ægyptiis, uti Gellius ſcribit, " compertum erat, nervum quendam tenuiſſimum ab eo uno digito ad cor hominis pervenire; ac propterea non inſcitum viſum eſſe, eum potiſſimum digitum tali honore decorandum, qui continens et quaſi connexus eſſet cum cordis principatu [p]."

---

[k] Hiſt. N. l. 33. 1. Huc etiam ſpectat Martialis iſtud, de Dactyliotheca Epig. l. 14. 123.

Sæpe gravis digitis elabitur anulus unctis;
Tuta meâ fiet ſed tua gemma fide.

[l] Juven. Sat. 1. 28. Sunt tamen qui anulos hoſce æſtivos, non ex ponderis ſed materiæ differentia explicandos eſſe putant. Quippe qui ex iſtiuſmodi gemmis effecti eſſent, de quibus Plinius loquitur, Heliotropiis nempe, Aſteriis, Mitharibus aut Iridibus; quæ æſtate potiſſimum niteſcere, vireſque ſuas oſtentare, et cum ſoli opponerentur, magna colorem varietate admirationem ſui excitare ſolerent. Vid. J. Kirchman. de anulis c. 17. it. Plin. Hiſt. N. l. 37. ix, x.

[m] Vid. Anſelm. de Boot. Gemmar. Hiſt. l. 2. c. 102.

[n] Plin. ib. c. 4.

[o] Vid. Marbod. de Gemmis Poema ad Gorlæi Dactylioth. a Jac. Gronov. adjunctum. Lugd. B. 1695.

Atqui hæc rei explicandæ ratio, certiſſimis medicorum experimentis, vana prorſus ac futilis eſſe convincitur. Aliam vero, ac magis eam quidem veriſimilem, ab Ateio Capitone traditam, Macrobius commemorat. " Veteres, inquit, non ornatus ſed ſignandi cauſa anulum ſecum circumferebant—imprimebatur autem ſculptura materiæ anuli, ſive ex ferro ſive ex auro foret: et geſtabatur ut quiſque vellet, quacunque manu, quolibet digito. Poſtea uſus luxuriantis ætatis ſignaturas pretioſis gemmis cœpit inſculpere: et certatim hæc omnes imitatio laceſſivit, ut de augmento pretii, quo ſculpendos lapides paraſſent, gloriarentur. Hinc factum eſt, ut uſus anulorum exemptus dextræ, quæ multum negotiorum gerit, in lævam relegaretur, quæ otioſior eſt; ne crebro motu et officio manus dextræ, pretioſi lapides frangerentur. Electus autem in ipſa læva manu, digitus minimo proximus, quaſi aptior ceteris, cui commendaretur anuli pretioſitas. Nam——et minus officii gerit, et ideo ſervando anulo magis accommodatus eſt [r]."

---

[p] l. x. c. x.

[q] Macrob. Sat. l. 7. c. 13.

T A-

TABULA IV.

HÆC Olla Vitrea, forma ſane eleganti, in urna marmorea incluſa, oſſiumque combuſtorum reliquiis plena, reperta eſt. Quippe vaſcula hujuſmodi omnia, quibus defunctorum cineres aut oſſa condita erant, in inſcriptionibus antiquis Ollæ vocantur; addito tamen interdum epitheto, Oſſuariæ, vel Cinerariæ [r]. Harum pars maxima fictilis, permultæ vero e marmoribus pretioſis, ſculptili opere ornatis, et nonnullæ ex alabaſtro etiam orientali formatæ erant: de vitreis autem, nulla, opinor, a ſcriptoribus antiquis mentio facta eſt: quas tamen, non tam ob pretium, quam fragilitatem, rariſſimas fuiſſe credendum eſt; apud populum præſertim, quem, in ſepulchrorum apparatu, poſteritatis memoriam, et nominis quaſi perpetuitatem, omnium gentium maxime ſpectaſſe cognovimus.

At præter Ollam noſtram, alias duas, treſve ad ſummum, e vitro pariter conflatas, a rerum antiquarum peritis deſcriptas, atque in lucem editas animadverti [ſ]: quarum una, pari fere forma ac magnitudine, atque in urna etiam fictili incluſa, in monumento Libertorum Liviæ Auguſtæ, Romæ haud dudum reperta fuit; cujus quidem figuram, vir eruditus, Franc. Gorius, in monumenti iſtius deſcriptione, delineatam edidit [t]:

---

[r] Vid. Gruter. Inſcript. De Ollis. it. Monument. Libertor Liviæ Auguſtæ a Gorio Edit. Florent. 1727. Fol.

[ſ] Vid. Beger. Theſaur. Brandeb. Tom. 3. p. 470.

[t] *Vitreum Vaſculum, Dioton,* ſive cum duabus anſis, operculo munitum exhibemus: quod ſane perelegans eſt, altitudine unius palmi Romani, quod in fictili olla incluſum erat. Vid. Gorium ibid. Tab. 17. p. 49.

ſed nullam prorſus, perinde ac noſtram, pictis hominum imaginibus coloribuſque aureis ornatam, vel ipſe unquam vidi, vel ab alio quovis viſam eſſe, audivi.

TABULA V.

IN fundo Ollæ noſtræ, mortui imago aureis coloribus picta eſt, qui, quatenus ex vultu ejus, oſſiumque reliquiis intra ollam repertis atque adhuc conſervatis, conjicere liceat, haud annum ætatis viceſſimum attigiſſet. Imago vero ipſa fronde pampinea, foliis racemiſque florente, tanquam circulo, circumducta eſt: quo quidem ornatu Urnas veterum ſepulchrales ſæpe decoratas videmus; atque eo fere modo, quo in Sarcophagis interdum marmoreis, mortuorum imagines ſculptili opere fictas, atque orbiculari tabella incluſas reperimus[u].

Sect. II.

IN ambitu Ollæ, figuræ iſtiuſmodi pinguntur, quæ ad ſepulchrorum ritus, mortuorumque ſtatum pertinere credebantur. Duæ imprimis Cupreſſi, arbor Diti ſacra; atque ad mortuorum domos, ut Plinius ait, *funebri ſigno poſita*[x]. De quo ritu Feſtus, quia *hæc arbor*, inquit, *exciſa non renaſcitur, in tutela Ditis patris eſſe putabatur*[y]. Servius eam ad mortuorum januas idcirco poſitam dicit, *ne quis imprudens funeſtam domum rem divinam facturus introiret*[z]. Atque hinc in Urnis, Lucerniſque ſepulchralibus, Cupreſſi ſæpe figuram, ex utroque vaſculi latere, eodem modo atque ad mortuorum fores poni conſuerat, poſitam videmus[a]: Neque tamen ad omnium, ſed ad divitum præcipue domos collocari ſolere, ex Claudiani loco quodam ſignificari videtur.

---

[u] Vid. Monument. Libert. Liv. Aug. Tab. 8, 9, 10, 13, &c.

[x] Hiſt. N. l. 16. 33.

[y] In voce Cupreſſus.

[z] Ad Æneid. 4. v. 506.

> *Et non plebeios luctus teſtata Cupreſſus*[b].

Hæ vero Cupreſſi cum ad mortuorum fores dies aliquot[c] manſiſſent, in pompa demum funebri portatæ, atque una cum mortui cadavere in rogum conjectæ erant; propter gravem ut Varro ſcribit, *Uſtrinæ odorem, ne eo offendatur populi circumſtantis corona*[d]. Hinc illud Horatii,

> *Linquenda tellus et domus et placens*
> *Uxor: neque harum, quas colis arborum*
> *Te præter inviſas Cupreſſos*
> *Ulla brevem Dominum ſequetur*[e].

SECT. III.

INter Cupreſſos iſtas, ex una vaſculi parte, duas figuras alatas, alteram Cupidinis, alteram opinor Pſyches, depictas cernimus. Quas quidem eaſdem, diverſo licet geſtu ac poſitura, in Sarcophagis, Olliſque antiquorum marmoreis perſæpe inſculptas obſervavi[f]. Pſyche, perſona prorſus ſymbolica eſt, et Papilionis ſemper alis inſtructa; qua quidem, perinde ac Papilione ipſo, veteres animam humanam a corpore ſejunctam, denotare ſolitos accepimus. Nihil enim ad naturam ejus immortalem exprimendam aptius eſſe ducebant, quam animal iſtud aerium ac volatile, quod per varias formas ad vitam uſque novam moriendo tranſire animadvertiſſent[g]. Pſyches igitur figuram, in Olla noſtra expreſſam, non niſi defuncti animam e corpore evolantem, ac cum Cupidine ſive amore, quaſi ſummo ſuo bono, ſeſe conjungere nitentem, denotare puto[h].

---

[a] Vid. Boiſſard. Tom. 6. p. 62. it. Lucern. Antich. Da Pet Sant. Bartoli Fig. xi. 13. it. in hac noſtra collectione Tab. 8. Fig. 3.

[b] l. 3. v. 442.

[c] Mortuus, ut Servius ait, *domi erat ſeptem diebus, octavo incendebatur, nono ſepeliebatur.* Ad Æneid. 6. v. 152.

[d] Varro, a Servio citatus ad Æneid. 6. v. 216.

[e] Od. l. 2. 14. Hinc Cupreſſus nunquam fere ſine epitheto quodam funeſto a Poetis memoratur; atque *atra, feralis, funerea, inviſa, deplorata,* appellatur.

[f] Vid. Spon. Miſcell. p. 7, 8. Admirand. Rom. Antiqu. 66, 67. it. Montfauc. Antiq. Vol. 1. l. 3. c. 25.

Cupido vero ad aram quandam aſtare, et thure odoribuſque Deos Manes placare videtur. Quippe aras ad mortuorum ſepulchra exſtrui ſolitas eſſe, ex innumeris fere Auctorum Inſcriptionumque veterum teſtimoniis colligere licet[i].

Divinique oſſa Parentis
Condidimus terra, mæſtaſque ſacravimus aras[k].
Ante ſepulchrales infelix aſtitit aras[l].

---

[g] Vox græca ψυχὴ, Pſyche, et animam humanam et Papilionem ſimul ſignificabat. [Vid. Ariſtot. Hiſt. Anim. l. 5. c. 19. et Heſych. in voce] quæ quidem ambigua vocis hujus ſignificatio, cauſa fortaſſe fuit, quamobrem animalculum iſtud pro animæ deinceps ſymboſo ſumptum eſſet.

[h] Hæc rei interpretatio a Platone confirmari videtur; qui animis puris et perfectis alas tribuit, quibus ad cœleſtia ſemper vehuntur; quum alæ vero iſtæ defluxerint, tum ad terrena præcipites ferri ait. [Oper. T. 3. p. 246 in Phædro.] Dein alio loco ſcribit, animum quum corporis et ſenſuum miniſterio ad aliquid contemplandum utitur, tum trahi a corpore ad ea, quæ nunquam in eodem ſtatu permanent; atque ipſum errare et tumultuari et tanquam ebrium vertigine corripi: quum vero a corpore ſejunctus, per ſeipſum contemplatur, tum ad purum iſtud immortale, quod ſemper exiſtit et in eodem ſtatu permanet, contendit, et tanquam ei cognatus cum illo ſemper verſatur. [in Phædon. T. 1. p. 79. Atque hæc animi tumultuantis atque ebrii imago, in Inſcriptione quadam ſepulchrali expreſſa eſſe videtur, in qua M. Porcius Hæredibus mandat——ut *meus Ebrius Papilio Volitet*, &c. Vid. Oſſervaz. Sopr. Alcun. Framment. di Vetro. a Phil. Buonarott. p. 197.

[i] Vid. Card. Norr. Cenotaph. Piſan. Diſſert. 3. p. 608. Gruter. Inſcript. p. 527. 4. 528. 1. 549. 1. &c.

[k] Virg. Æneid. 5. 47.

[l] Ovid. Met. 8. 480.

In his autem aris, *thus atque odores Diis Manibus* plerumque incendere ſolebant: ad quem quidem morem Plinius alludens, *Arabia*, inquit, *felix appellatur, falſa et ingrata cognominis, quæ hoc acceptum ſuperis ferat, cum plus ex e feris debeat*[m].

SECT. IV.

Ex adverſa Ollæ parte, inter eaſdem Cupreſſos, tres hominum figuræ pictæ ſunt, quæ pompæ funebris ſpeciem quandam exhibere videntur. Mimus chorum ducit, qui Cupreſſum item manibus ſublatis ad rogum ferre, ac ridiculo quodam geſtu ſaltare videtur. Etenim Mimorum Ludionumque genus omne ad nobilium divitumque funera adhibitum eſſe legimus. In funere Veſpaſiani, *Archimimum quendam, perſonam Imperatoris egiſſe, atque ut mos erat, facta et dicta vivi, geſtu ac voce imitatam eſſe*, a Suetonio traditur[n].

Mimum ſequitur mulier, lancem ſeu ferculum, thure forſitan aromatibuſque plenum, ferens. Magnam enim odorum omnium copiam, ab amicis et propinquis collatam, in lancibus ferri, atque in rogum conjici ſolere notiſſimum eſt.

> ——— *Congeſta cremantur*
> *Thurea dona, dapes*[o].

quem quidem luxum Propertius a funere ſuo prohibet,

---

[m] Hiſt. N. l. 12. 18.

[n] In Veſpaſ. c. 19.

[o] Virg. Æn. 6. 224.

Deſit odoriferis ordo mihi lancibus[p].

“ In funere J. Cæſaris, præferentibus munera, inquit Suetonius, præſcriptum erat, ut omiſſo ordine, quibus quiſque vellet itineribus urbis, in campum portaret[q].

Sed cœnam quoque feralem, in pompa funebri portari ſolitam conſtat.

—— *Exigua feralis cœna patella*[r].

Hanc cœnam, ſilicernium vocabant, et funere peracto, ad ſepulchrum celebrare ſolebant[ſ]. Horum igitur rituum, unum alterumve, vel cœnam ſcilicet vel odores lance ferendi, ab hac muliebri figura indicatum puto.

Alia figura reſtat, facie, ut videmus, averſa, quaſi ignem pyræ ſubditura; quod capite ſemper averſo, tanquam ab invitis fieri dicitur.

---

[p] L. 2. 14. de hoc ritu item Statius,

Quis carmine digno
Exequias et dona malæ feralia pompæ
Perlegat? omne illic ſtipatum examine longo
Ver Arabum, Cilicumque fluit, floreſque Sabæi
Indorumque arſura ſeges, præreptaque Templis.
Thura.

[q] In J. Cæſ. c. 84.

[r] Juven. Sat. 5. 85. de hoc etiam ritu Perſius,

Sed cœnam funeris Hæres
Negliget iratus, quod rem curtaveris; urnæ
Oſſa inodora dabit, —— S. 6. 35.

Vaſculum item, quo cœna ferebatur, Plinius, *ferculum funeris*, vocat. Hiſt. N. κ. x.

[ſ] Funus exequiati laute, ad ſepulchrum, antiquo more, Silicernium confecimus, id eſt περιδειπνον, in quo pranſi diſcedentes dicimus, alius alii Vale—[Var. Fragm. e Meleagro, a Nonio citat.] Sequebantur epulæ, inquit Cicero, quas inibant propinqui coronati. De Legib. 2. 25.

—— ſubjectam more parentum
Averſi tenuere facem[t].

Sed quid homo ipſe in manibus teneat, quidve omnino agat, ob colores ibi paullulum detritos, haud ſatis perſpicuum eſt. Ex geſtu ſane, tibicinem eum potius eſſe conjicerem; nam et tibiam et tubam ad funera adhibitas eſſe liquet: tibia vero puerorum, tuba majorum natu et nobiliorum præſertim exequiis propria fuiſſe videtur.

Tibia cui teneros ſuetum producere manes
Lege Phrygum mæſta[u] ——
Nec mea tunc longa ſpatietur imagine pompa,
Nec Tuba ſit fati vana querela mei[x].

At vero Ollam noſtram oſſium combuſtorum reliquiis plenam eſſe dixi: quippe, rogo extincto, Oſſa mortui a matre præſertim aut propinquis, lugubri veſte indutis, legi atque in Olla condi ſolebant.

Abſtineas mors atra precor: non hic mihi mater,
Quæ legat in mæſtos oſſa peruſta ſinus[y]

---

[t] Virg. Æn. 6. 223.

[u] Stat. Theb. 6. 120. it. Ov. Faſt. 6. 657.

[x] Propert. 2. 13. Qui tubis tibiiſve ad funera canebant, τυμβᾶυλαι græce, ſiticines latine dicebantur. Quippe qui apud ſitos, hoc eſt, vita functos canebant: quos propriam quandam tubæ ſpeciem, ceteris longiorem ac latiorem habuiſſe, ex Gellio diſcimus. [Noct. Att. lib. 20. c. 2. Vid. Hieron. Mag. Miſcell. l. 1. 1. it. Kirchman de Funerib. l. 2. 5.] Hæc nobilium funera quia a Præcone indici publice ſolebant, indictiva vocabantur. [Vid. Cic. de Legib. 2. 24.] indictionis autem iſtius formulam, apud Gutherium de Jure Manium videre licet. l. 1. c. 19.

[y] Tibull. Eleg. l. 1. 3. v. 5, de eodem ritu Virgilius,

Poſtquam collapſi cineres et flamma quievit,
Reliquias vino, et bibulam lavere favillam,
Oſſaque lecta cado texit Chorinæus aheno.
Æn. 6. 226.

Ritus ipſe Oſſilegium dicebatur, a Græcis item Οστεολογία. Diod. Sic. l. 4. p. 243. Ed. Han.

Hinc Seneca ad Helviam, *modo in eundem ſinum*, inquit, *ex quo tres nepotes emiſeras, oſſa trium nepotum recepiſti*[z].

Figuras denique haſce pingendi modum quod attinet, non arte illæ quidem encauſtica, neque ea ſane diligentia abſolutæ ſunt, qua mulieris ac pueruli imagines, ſupra deſcriptæ; ſed in ipſa tantum vitri ſuperficie, coloribus aureis penicillo leviter ductis, formatæ apparent.

TABULA VI.

VAſcula jam quatuor lacrymatoria, ut vulgo dicuntur, hic deſcripta videmus: duo videlicet vitrea, et duo item fictilia; quæ hac plerumque forma in Romanorum veterum ſepulchris, juxta Ollas oſſuarias poſita reperiuntur. Etenim in pompis funebribus mulieres quædam, quæ Præficæ vocabantur, quæque lacrymas pro libitu fundendi artem quandam uſu didicerant, ad mortuos deflendos pretio conductæ erant. *Preficæ*, inquit Feſtus, *ad lamentandum mortuum conductæ, dant ceteris modum plangendi, quaſi in hoc ipſum præfectæ*[a].

Præficarum igitur harum, item ac propinquorum lacrymis colligendis, atque in ſepulchro condendis, hæc vaſcula parata eſſe creduntur. Quæ quidem opinio, primum ex Præficarum munere confirmari putatur; deinde ex vaſculorum horum forma, ore videlicet patulo, lacrymis excipiendis apto; colloque oblongo, quo manu commodius teneantur; tum ex urnarum ſepulchralium operculis, quorum pars media in cyathi ſæpe formam excavata, foraminibuſque diſtincta eſt, ut lacrymæ iſtæ in ſuppoſitos mortuorum cineres defluere facile poſſent; denique ex verborum formula, in tumulorum ſæpe inſcriptionibus uſurpata, *lacrymas ponere*, *cum lacrymis ponere*, et *tumulum lacrymis plenum dare*[b]. Atque has potiſſimum ob cauſas, omnes rerum antiquarum interpretes, hujuſmodi vaſcula, uno prorſus ore lacrymatoria, ſeu ad lacrymas, appellant.

---

[z] De Conſolat. ad Helv. c. 2.

[a] Quod Præficæ vero nomen in deſuetudinem abiiſſet, a Varrone indicari videtur. Hæc mulier, inquit ille, vocitata olim Præfica, uſque ad ſecundum Punicum bellum. [Fragment. de Vit. Pop. Rom. l. 3.] attamen mos ipſe manſit, ut ab Horatio diſcimus,

Ut qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo,
ſic —— Art. Poet. 431.

Hæc vero hominum doctiſſimorum ſententia, ſpecioſa licet et probabilis, mihi tamen nullo modo vera eſſe videtur. Equidem mulieres in funeribus veterum ad plorandum adhibitas lubens agnoſco: at vero de lacrymis in phialas fundendis, atque in tumulum condendis, ne verbum quidem a veteribus traditum; neque de vaſculis ipſis, aut lacrymas colligendi conſuetudine, mentionem omnino ullam factam, reperio: neque in pomparum funebrium deſcriptionibus, ubi plorantium imagines exſculptæ interdum cernuntur, ullum iſtiuſmodi vaſculum in mulierum uſquam manibus viſum memini[c].

Præterea, in Chriſtianorum priſcorum ſepulchris, hæc eadem vaſcula, et vitrea et fictilia, reperta eſſe conſtat: quorum figuras haud paucas Aringhus in lucem edidit; eaque non lacrymis condendis, apud primævos iſtos, quibus mori lucrum credebatur, ſed aquæ luſtralis aſperſioni parata eſſe, declarat[d]. Quippe in priſcorum Chriſtianorum funeribus, neque Præficarum munus, neque vanam eam luctus oſtentationem adhibitam eſſe, veriſimile eſt, ſed dolorem ſolummodo talem, qualem natura exigit; quem ratio ſimul et religio coercent, quemque vitæ futuræ ſpes in gaudium quodammodo convertit. Sanctus Cyprianus, “ fratres mortuos deſiderari debere ait, non plan- “ gi——neque occaſionem dandam eſſe Gentilibus, ut nos “ merito ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum “ dicimus, ut extinctos, ut perditos lugeamus[e].” Sanctus “ item Hieronymus, de Paullæ Romanæ morte loquens, “ non “ ululatus, inquit, non planctus, ut inter ſeculi homines fieri “ ſolet, ſed pſalmorum linguis diverſis examina concrepabant[f].” In balneorum quoque antiquorum ruderibus, ejuſdem formæ ac moduli vaſcula, reperta nonnunquam cognovimus[g]: quæ non niſi odoribus, unguentiſque conſervandis inſerviiſſe, haud cuipiam dubium eſſe poteſt. In quem quidem uſum et hæc noſtra, et ejuſdem generis reliqua omnia, quæ vel in Gentilium, vel Chriſtianorum ſepulchris reperiantur, parata fuiſſe exiſtimo; perinde ac iſta quoque, de quibus, proximo loco, jam pauca quædam dicturus ſum.

---

[b] Fabrett. Inſcript. p. 63. Beger. Theſaur. Brand. Tom. 3. p. 464. Cauſeus. Muſ. Rom. p. 108. Monument. Libertor. Liviæ Aug. p. 48. &c.

[c] Vaſculum ejuſdem fere generis ac formæ, atque unicum quidem, quod in Romæ veteris monumentis exſculptum unquam vidi, in ſacrificio quodam Priapi ſupra memorato, cernitur: e quo ſacerdos liquorem quendam odoratum forſitan, in Priapi faſcinum floribus ornatum, fundere videtur. Boiſſard. V. 1. par. 2.

---

[d] Aringh. Rom. Subterran. Vol. 1. p. 502. Bonannius item, Jeſuita eruditiſſimus, “ Notandum eſt, inquit, ſimilia vaſa “ ſæpius etiam inveniri in ſepulchris “ Chriſtianorum, quæ tamen lacrymas “ continuiſſe, non eſt credendum. Muſ. “ Kircher. p. 115.

Jam mæſta quieſce querela,
Lacrymas ſuſpendite matres,
Nullus ſua pignora plangat,
Mors hæc reparatio vitæ eſt.

Prudent. Hymn. x. circa exequias. v. 125.

[e] Cypr. de Mortalitat.

[f] Epiſt. 86. Oper. T. 4. par. 2. p. 687. Edit. Bened.

[g] Bonann. Muſ. Kircher. Tab: 51. 7, 8. p. 184.

TABULA VII.

HÆc quatuor vaſcula, e vitro candidiſſimo confecta, atque in ſepulchro antiquo reperta, unguentis, ut modo dixi, odoribuſque in tumulum inferendis inſerviiſſe, ex eorum forma et magnitudine perſpicuum eſt. Mortuorum enim propinquos, certis quibuſdam diebus, ſepulchra eorum adire, cinereſque floribus, thure, ac odoribus reſpergere, et vaſcula, quibus iſta intuliſſent, cum odorum reſiduo aliquo in tumulo relinquere ſolitos, conſtat: de qua quidem conſuetudine, frequens admodum cum in libris tum monumentis veterum mentio occurrit.

> *Miſta bibunt molles lacrymis unguenta favillæ*[h]
> *Afferet huc unguenta mihi, ſertiſque ſepulchrum*
> *Ornabit cuſtos, ad mea buſta ſedens*[i].

---

[h] Ovid. Faſt. 3. 561.

[i] Propert. l. 3. 15. De odoribus item hiſce, in marmoribus ſepulchralibus mentio frequens occurrit.

1.

D. M.
GEMINIAE. P. FIL.
MAXIMAE
STATVTA
ODORAMENTA.
EX. H-S. ∞ ∞ ∞ ∞
PRIMA. MATER.
MISERRIMA.
FILIAE. CARISSIMAE.
ANN. XVIII.

Gruter. p. 1122. 12.

2.

C. LAELIO. C. F. IV.
—— —— ——
—— —— ——
—— —— ——
FVSCA. MATER.
AD. LVCTVM. ET GEMITVM. RELICTA.
CVM. LACHRIMIS. ET OPOBALSA
MO. VDVM.
HOC. SEPULCHRO. CONDIDIT

Muſe. Kircher. p. 115.

Montfauconius, Inſcriptionis ſecundæ auctoritate inductus, liquidi genus quoddam *e lacrymis et opobalſamo* commixtum, in *phialas iſtas lacrymatorias*, ad mortuos reſpergendos condi ſolere, declarat. [Antiq. Vol. 5. l. 3. c. 7.] Sed nihil profecto aliud Inſcriptio ipſa indicare videtur, ac matrem largo fletu atque unguentis cadaver filii humectaſſe.

Ficcoronius urnam quandām grandem paucis abhinc annis Romæ repertam commemorat, ſupra quam viginti quatuor vaſcula fictilia, Ollulæ patellæ, pocilla, pulchre elaborata, poſita erant; quæ unguentis odoribuſque variis in tumulum inferendis comparata fuiſſe, cenſet[k]. Vaſculi quoque vitrei in alio ſepulchro reperti meminit, in quo liquoris etiam reſiduum aliquod inveniſſet[l]. Gorius etiam Florentinus, ſagax ille quidem fiduſque rerum antiquarum interpres, *liquores interdum in vaſculis his ſepulchralibus compertos eſſe,* ſcribit, quos odoratos olim fuiſſe arbitratur[m].

Sed permulta ſane ejuſdem generis vaſcula, e vitro pariter conflata, atque ex Chriſtianorum veterum ſepulchris eruta, in lucem edidit Aringhus; quæ, quia rubro fortaſſe, ſeu ſanguineo colore tincta reperiuntur. Martyrum ibi olim ſepultorum indicia jam a Papiſtis certiſſima eſſe creduntur[n], At vero hujuſmodi quoque omnia, unguentis odoribuſque condendis deſtinata eſſe, haud dubium eſt: quem quidem morem a Gentilibus ad Chriſtianos, vel priſcis iſtis ſeculis, traductum eſſe cognovimus. Tertullianus enim, plus odoramentorum a Chriſtianis profundi ſolere queritur, quam ab Ethnicis ipſis. “ Thura, inquit, plane non emimus. Si Arabiæ querantur, ſciant, pluris et carioris merces ſuas Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis[o].” De hoc item ritu Prudentius,

Nos tecta fovebimus oſſa
Violis et fronde frequenti,
Titulumque et frigida ſaxa

---

[k] Della Bolla d'Oro. p. 58, 59.

[l] Ibid. p. 66.

[m] Vid. Monument. Libertor. Liv. Aug. p. 49. it. Gruter Inſcript. p. 927. 5.

[n] Aringh. Rom. Subterran. Vol. 1. p. 496.

[o] Apologet. c. 42.

Liquido ſpargemus odore.
Aſperſaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine ſervat[p].

TABULA VIII.

De Lucernis jam ſepulchralibus, quarum tres fictiles, et unam quoque æneam, e ſepulchris veterum erutas, hic delineatas damus, nonnihil dicendum eſt. Nam etſi hoc argumentum a viris eruditis exhauſtum plane videatur, qui innumeras fere Lucernarum harum figuras e muſeis ſuis deſcriptas ediderunt, de noſtris tamen, quatenus proprium ſaltem aliquid, aut notatu dignum præbeant, pauca etiam quædam diſſerenda eſſe, duxi.

Lucernas equidem, et in omnibus veterum ſepulchris poſitas eſſe, et in omnibus pariter, quæ vel hodie etiam fodiendo aut caſu aliquo Romæ detegantur, repertas eſſe, notiſſimum eſt. Etenim Romani, ut ſupra dictum eſt, certis quibuſdam diebus, mortuis juſta facere, inferiaſque Diis Manibus, et ſacra quædam gentilitia in tumulum inferre conſueverunt. Hinc Aræ in ſepulchris conditæ, urnæque ipſæ ſepulchrales, ararum ſæpe forma exſtructæ, atque ararum nomine vocatæ[q]: atque hinc in ſepulchrorum titulis, *itus*, *aditus*, *ambitus* ad ſacra iſta facienda dari memorantur[r].

In ſepulchrorum autem eorum cameris, ſubterraneis plerumque et tenebricoſis, ad ritus eos peragendos, lucernis opus fuiſſe, neceſſe eſt: atque hinc in marmoribus ſepulchralibus, de Lucernis et Lychnuchis penſilibus in ſepulchris poſitis, mentionem interdum factam invenimus[s]: et libertatem etiam ſervis, ea conditione donatam, ut *in monumento, alternis menſibus, lucernam accenderent*[t].

---

[p] Cathemerin. Hymn. x. v. 177. it. v. 59.

[q] Fabrett. Inſcript. p. 107, 108, 719. it. Monument. Libertor. Liv. Aug. p. 42.

[r] Fabrett. p. 265, 293, &c. it. Gruter. 855. 3.

De Lucernis noſtris, Prima, nullis licet figuris aut ſculptura ornata, forma tamen eleganti et perbella, atque ex ære conflata eſt.

SECT. II.

SEcunda, Cupidinis Hirco inſidentis effigiem exhibet; cui haud aliam unquam ſimilem me vidiſſe memini. In picturis equidem ſepulchralibus, Cupidines, Genioſve alatos, cum Hircis ſeſe exercentes ludenteſque animadverti; puerorumque luſus varios, in ſepulchris veterum, et coloribus pictos, et e marmore fictos vidi[u]. Tamen quid iſtiuſmodi figmenta ſibi velint, quidve nobis indicent, mihi ſane nequaquam liquet: quorum pleraque fortaſſe nonniſi loci ornandi cauſa, pro artificis arbitrio excogitata erant. Cum vero Hircum, apud omnes fere gentes, tanquam laſciviæ ac libinis ſymbolum, habitum eſſe conſtet, haud ſcio, an hac Cupidinis Hirco inſidentis imagine admoneamur, eos videlicet omnes, qui amoris laſcivi ac libidinoſi impulſu agantur, ad mortem immaturam præcipites ferri.

---

[s] Monument. Libert. p. 50, 51. it. Gruter. 1143.

[t] Guther. de Jur. Manium. l. 2. c. xi. Gorius Florentinus, qui de monumento *Libertorum et ſervorum* Liviæ Auguſtæ, Romæ haud dudum reperto, librum perpulchrum edidit, ad ſingula monumenti iſtius *Columbaria*, *Lucernas ſingulas* olim appenſas fuiſſe, dicit. Vid. Monument. ibid.

[u] Vid. Sepolch. Naſon. Append. Tab. 3. it. Ollas, ſarcophagoſque a Boiſſardo et Montfauconio delineatos———

SECT. III.

TErtia, Cupreſſis hinc et inde exſculptis, decorata eſt; quas in aliis item Lucernis, perinde ac Ollis ſarcophagiſque eodem ſæpe modo expreſſas eſſe dixi, quo ritus ſcilicet iſte, ſupra memoratus, arborem eam ad mortuorum fores ponendi indicetur[x].

SECT. IV.

QUarta vero, ex Agni effigie, qua inſignitur, ad Chriſtianorum veterum uſum aliquem pertinuiſſe, apparet. Etenim priſcis iſtis Eccleſiæ temporibus, Chriſti imago ſub agni ſpecie ac ſymbolo pingi ſolebat: nec ante Conſtantini magni ævum, ulla ejus ad crucem affixi effigies, ut Aringhus, auctor ſane pius et eruditus, declarat, Gentilium unquam oculis oblata fuit; ne probrum inde aliquod in religionem Chriſtianam derivatum foret, "Quapropter eorum temporum imbe-
"cillitati, uti ait, caute et pro animi viribus proſpicientes,
"crucem duntaxat, ſuppreſſa Chriſti imagine, fingebant—et
"agnum interdum ſub ipſa cruce conſiſtentem affabre pinge-
"bant. De quo etiam Paulinus,

Sub cruce ſanguinea niveo ſtat Chriſtus in Agno,
Agnus, ut innocua injuſto datur hoſtia letho[y].

In cujus rei teſtimonium picturam item vetuſtiſſimam, e Cœmeterio antiquo, Aringhus profert, in quo *Agnus crucem ba-*

---

[x] Vid. Lucern. Antich. Da. P. Bartoli. Par. 1. Tab. xi, 13. it Boiſſard et Montfauc.

[y] Aringh. Rom. Subterran. Vol. 2. p. 557.

culo affixam, vexilli ad inſtar, gerens depingitur[z]. Duoſque præterea alios, e Cœmeterio Calliſti, agnos affabre pictos exhibet, quorum uterque baculum paſtorale, cum vaſculo quodam appenſo, geſtat[a]: quibus Chriſti perſona, tanquam Paſtor bonus, *agnuſque ab origine mundi occiſus*, ſymbolice ſignificari intelligitur. Agni vero typus, in Lucerna noſtra, perinde ac in aliis quibuſdam expreſſus, ex iſtis Apoſtoli verbis deſumptus plane videtur; *Lucerna ejus eſt Agnus*[b].

Quod hæ vero Lucernæ a Chriſtianis æque ac Gentilibus ad ſepulchrorum ritus celebrandos adhibitæ eſſent, ab omnibus traditum accepimus. Aringhus, innumerabiles fere, vel in uno Sancti Calliſti Cœmeterio, Romæ repertas eſſe, teſtatur; quarum figuras etiam permultas harum rerum ſtudioſis contemplandas exhibet[c]: atque oleum earum, e martyrum ſepulchris deſumptum, miracula quædam edidiſſe, morboſque ſanaſſe, ſcriptorum veterum teſtimonio confirmat[d]. Lucernas denique iſtas in eundem finem a Chriſtianis, ac a Gentilibus antea uſurpatas eſſe, perſpicuum eſt; ſcilicet, ut in Cœmeteriis ſuis tenebricoſis, pia quædam officia, ſeu ſacra anniverſaria defunctis præſtarent; vigiliaſque præſertim, pro temporum iſtorum conſuetudine, ad Martyrum tumulos agerent. Ubi nonnulli etiam, ut Sanctus Ambroſius queritur, "pocula ſecum deferre, atque "in veſperam uſque bibere ſolebant, neque aliter ſe exaudiri "poſſe credebant——O ſtultitiam hominum, inquit, qui "ebrietatem ſacrificium putant: quique æſtimant illis ebrie"tatem placere, qui jejunio paſſionem ſuſtinere dedicerunt[e]."

---

[z] Ibid. p. 559.

[a] Id. V. 1. 557.

[b] Apocal. c. xxi. v. 23.

[c] Vol. 1. p. 510.

[d] Ibid. p. 89.

[e] De Elia et Jejun. c. 17.

SECT.

SECT. V.

IN ſepulchris item veterum, Olliſque oſſuariis, res ejuſmodi omnes, quæ defunctis, cum viverent, in deliciis fuiſſent, quaſque ornatus præſertim gratia geſtaſſent, una cum cineribus eorum condi ſolitas cognovimus; puerulorum ſcilicet *crepundia, Bullas, anulos aureos*; *mulierum inaures, monilia*, &c. quæ propinquorum pietas, parentumque maxime erga liberos caritas, in mortuorum honorem Diis Manibus dicare ſolebant. Quam quidem conſuetudinem, etſi a nullo, quod ſciam, ſcriptore antiquo memoratam, Romæ tamen univerſum fere obtinuiſſe conſtat; uti rebus ipſis, quæ ex ſepulchrorum veterum ruinis quotidie effodiuntur, aperte demonſtratur.

Ficcoronius, in ruinis iſtis perſcrutandis omnium ſane verſatiſſimus, ſe anulos permultos aureos, et gemmis quidem inſignitos, una cum oſſibus et puerorum, et virorum etiam ac fœminarum, in Ollis reconditos inveniſſe ſcribit [f]. De quo genere duos iſtos in hac Tabula deſcriptos, a puerulis olim geſtatos, atque in ſepulchris eorum repertos ab eo accepi; quorum alter Deæ Cybeles imaginem, ex auro ipſo exſculptam; alter vero Cupidinis, Delphini dorſo inſidentis, figuram, in Jaſpide rubra, in anuli orbiculum inſerta, inſculptam exhibet.

Hanc eandem Cupidinis figuram, Delphinum frœno ac flagello regentis, in gemmis monumentiſque antiquis ſæpiſſime inſculptum videmus [g]. Quam quidem plerique, Amoris in utrumque elementum, in maria ſcilicet perinde ac terras imperium, denotare cenſent; ſecundum vetus iſtud de conſimili quadam mimagine Epigramma.

---

[f] In libro Della Bolla D'Oro, &c. p. 54, 57, 58, 60, 64.

[g] Vid. Gemm. Antich. Da Domenico De Roſſi. Vol. 3. Tab. 16, 17, 18.

Οὐδὲ μάτην παλάμαις κατέχει Δελφῖνα ϗ ἄνθος,
Τῇ μὲν γὰρ γαῖαν, τῇδε θάλασσαν ἔχει[h].
Nec fruſtra manibus florem ac Delphina coercet,
Illa etenim terras, hac tenet oceanum.

Nonnulli autem nihil aliud figuris hiſce ſignificari exiſtimant, ac ſingularem piſcis hujus erga hominum genus benevolentiam; puerorumque præcipue amores, quibus Delphini flagrare credebantur; quorumque exempla quædam inſignia ac mirifica a veteribus memoriæ prodita ſunt[i].

Ex anuli noſtri forma, lapidiſque inſigendi ratione, colligere licet, quam in gemmis in anulos inſerendis, imperiti ac rudes, vel florentiſſimis Reipublicæ temporibus, artifices iſti Romani, præ noſtrorum hominum ſollertia fuerint. Etenim anuli orbiculum ab ima parte gradatim amplificare ſolebant; quoad pars ejus ſumma, qua gemma includenda erat, quæ Pala dicebatur, magnitudinem gemmæ, quantacunque fuerit, intra orbiculi cavitatem excipere poterat: unde anulos ſæpenumero, ob gemmarum magnitudinem et pondus, deformes moleſtoſque fuiſſe, neceſſe eſt[k]. Horum ego nonnullos uſque ad hæc tempora conſervatos vidi, atque unum quidem cui S. Pompeii caput, una cum ſculptoris nomine, in Sarda eximie inſculptum erat: cujus etiam figura ectypa, inter præſtantiores ſculpturæ veteris reliquias, a Dominico Roſſi Romano in lucem edita eſt[l].

---

[h] Antholog. l. 4. c. 12.——Hæc rei interpretatio ab Euripidis loco quodam, a Clemente Alexandrino citato, confirmatur.

Ἔρως γὰρ ἄνδρας ȣ̓ μόνȣς ἐπέρχεται
Οὐδ᾽ αὖ γυνάικας, ἀλλὰ ϗ θεῶν ἄνω
Ψυχὰς ταράσσει, κἀπὶ πόντον ἔρχεται.

Amor enim non viros tantum neque fœminas etiam aggreditur; ſed et ſuperorum quoque animos commovet, atque ad infera maris deſcendit.—Strom. lib. 6. p. 745. Edit. Oxon.

[i] Plin. Hiſt. Nat. l. 9. c. 8. A. Gellius l. 7, 8. Plutarch. de induſtr. Animal.

[k] Ficcoronius, ſe anulos interdum aureos in ſepulchris antiquis inveniſſe dicit, quorum alii ſex, alii decem Zecchinos, (hoc eſt, monetæ Anglicæ tres circiter aut quinque guineas) auri pondere exæquarunt. [L. L. p. 64, 67.] Hinc Iſidorus, multi, inquit, *Romanorum pro gravitate anulum in digito geſtare abſtinuerunt.* [Orig. l. 19. c. 32.] Jam alii, inquit Plinius, *pondera eorum oſtentant.* l. 33. 1.

Anulos hoſce *morientibus olim religione quadam detrahi ſolitos* a veteribus traditum eſt[m]: Quod haud ob aliam fortaſſe cauſam factum erat, quam ut cadaver, anulis detractis, lavari commodius, ungique poſſet, vel ne a Pollinctoribus furtim abriperentur: nam ex iis, quæ ſupra dixi, apparet eoſdem mortuis poſtea reſtitutos, atque in ſepulchris plerumque conditos fuiſſe; niſi quod in rogum interdum, ut a Propertio indicatur, conjecti, combuſtique eſſent.

Et ſolitum digito Berillon adederat ignis[n].

SECT. VI.

INaures etiam, uti dixi, una cum cineribus, in ſepulchris Olliſque oſſuariis, condi ſolere certiſſimum eſt: quarum quidem unam, e ſepulchro veteri erutam, mihique Romæ donatam, in hac etiam Tabula delineatam cernimus. De inauribus, frequens ſane apud ſcriptores antiquos mentio occurrit; quos de mulierum ſuarum luxu, ſumptuque in auribus ornandis immani, querentes ſæpe invenimus. " Quare uxor tua, " inquit Seneca, locupletis domus cenſum auribus gerit[o]? " neque in alia parte, ait Plinius, fœminis majus impendium, " margaritis dependentibus[p]: ac rurſus; quo magis admirari " ſubit, unionem in maris rubri profundo, ſmaragdum in " ima tellure quæri. Ad hoc excogitata ſunt aurium vulnera:

---

[l] Gemm. Antich. Vol. 1. Tab. 6.

[m] Plin. Hiſt. Nat. 33. 1. Vid. Kirchman. de anulis. c. 22. qui de hoc argumento libellum ſumma eruditione refertum edidit.

[n] Propert. l. 4. El. 7.

[o] De Vit. beat. c. 17.

[p] Hiſt. Nat. l. xi, c. 37.

" nimirum

“ nimirum quoniam parum erat, collo crinibuſque geſtari, “ niſi infoderentur etiam corpori[a].”

In hac noſtri inauri, lapillum quendam rubrum & pellucidum, ſive Rubinus fuerit, ſive vitrum ſolummodo rubro colore tinctum, in auro inſertum videmus; atque in vitro ipſo, Gallum Gallinaceum opere encauſtico affabre depictum; margaritamque inde, qua inaurium maxime decus ac pretium conſtituebatur, ex aurea catenula pendentem: quæ quidem verum illud eſſe oſtendit, quod de hoc Margaritarum genere Plinius ſcribit; *ſenecta nimirum eas flaveſcere, rugiſque torpeſcere; nec niſi juventa vigorem illum, qui quæritur obtinere*[b].

Margaritis autem, ſive unionibus, ut vocabantur, inaures fere omnes ornatiores, inſtructas eſſe liquet; quas, ob rei ſimilitudinem, *baccas* etiam a poetis appellatas legimus.

Nec ſit marita, quæ rotundioribus
onuſta baccis ambulet[c].
Aure leves baccæ, redimicula pectore pendent[d].

---

[a] Ibid. l. 12. Procem. quæ hoc loco a Plinio, *aurium vulnera*, a Juvenale, *molles in aure feneſtræ*, vocantur. Sat. 1. 104.

[b] Ibid. l. 9. 35.

[c] Hor. Epod. 8.

[d] Ovid. Met. l. x. 264. Quia baccæ autem iſtæ guttarum etiam formam præ ſe ferebant, inaures ipſas a priſcis ſcriptoribus, græca voce, *Stalagmia*, dictas invenimus; eodem ſcilicet ſenſu, ac a noſtris hodie Drops; *diſtillantes enim hiberno gelu ſtirias, ſtalagmias*, vocabant. Plin. l. 34. 12. uti a Cæcilio apud Feſtum, [in voce]

Jam ex aure ejus Stalagmium domi habeo.

Atq; a Plauto itidem; Menæc. Act. 3. Sc. 3.

Amabo, mi Menæchme, inaures da mihi
Faciundas, pondo duum nummum Stalagmia.

Hæc duorum nummûm, parvuli ſane pretii, Stalagmia, ænea certe fuerunt cujus quidem generis inaurem, in Muſeo Sanctæ Genevievæ Pariſienſis, deſcriptam videmus; anulum ſcilicet æneum, ex quo in aurem inſerto, tres baccæ, ſive guttæ vitreæ dependent. p. 33. c. 15. at baccas etiam ipſas interdum æneas fuiſſe, ex Ovidio diſcimus

—— —— *parilique ex ære nitebant*
Auribus in geminis circum cava tempora baccæ.
Met. x. 115.

De hoc autem argumento, conſule Gaſp. Bartholinum de Inaurib. qui omnia ſane, quæ ad illud illuſtrandum pertinent, in opuſculum ſuum eruditum accurate congeſſit.

Alia tamen erat, et pretioſior illa quidem, unionum ſpecies, quos Elenchos vocabant: “ faſtigiata, uti Plinius ait, longitu- “ dine et alabaſtrorum figura, in pleniorem orbem deſinentes; “ quorum binos aut ternos auribus ſuſpendere, ceu ſono quo- “ que et colliſu ipſo margaritarum gauderent, fœminarum glo- “ riam eſſe dicit[e].”

> *Nil non permittit mulier ſibi; turpe putat nil,*
> *Cum virides gemmas collo circumdedit, et cum*
> *Auribus extentis magnos commiſit elenchos*[f].

De his etiam Seneca, “ video uniones, inquit, non ſingulos “ ſingulis auribus comparatos; jam enim exercitatæ aures oneri “ ferendo ſunt: junguntur inter ſe, et inſuper alii binis ſuper- “ ponuntur. Non ſatis muliebris inſania viros ſubjecerat, “ niſi bina ac terna patrimonia auribus ſingulis pependiſſent[g].”

Hos igitur uniones ſive elenchos, qui noſtris jam temporibus plane jacent, a Romanis tamen ſummo in pretio habitos, et gemmis fere omnibus antelatos eſſe apparet. *Principium*, inquit Plinius, *culmenque omnium rerum pretii margaritæ tenent. Indicus maxime has mittit oceanus——dos earum omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere*[h]: quæ vero in his rebus omnibus præſtabant, immenſi pretii æſtimabantur. Hinc celebris iſta hiſtoriola de margarita ex aure Metellæ detracta, ab Horatio et Plinio celebrata.

---

[e] Hiſt. Nat. l. 9. 35.

[f] Juven. Sat. 1. 456. Hos elenchos, uti a Plinio deſcribuntur, *faſtigiata longitudine et in pleniorem orbem deſinentes*, nonniſi Pyri formam habuiſſe conſtat. De quo quidem genere, Ficcoronius, ſe Inaures duas aureas in urna quadam inveniſſe ſcribit, e quibus *duo Smaragdi in Pyrorum ſpeciem conformati dependebaut*. In libro della Bolla d'Oro &c. p. 60. *Due Orecchini d'Oro, legatevi due Smeraldi fatti a pera.*—

[g] De Benef. 7. 9. Ex hoc inaurium luxu, inter Domus Auguſtæ miniſteria, AVRICVLAE ORNATRICES in Inſcriptionibus antiquis recenſeri videmus. Quibus inaurium ſcilicet cuſtodiam curamque omnem commiſſam eſſe veriſimile eſt. Vid. Grut. p. 579. 2, 3.

[h] Hiſt. Nat. 9. 35.

Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies ſolidum exſorberet, aceto
Diluit inſignem baccam[i].

Vitellius etiam, in Germaniam a Galba miſſus, et rei familiaris inopia laborans, *unionem ab aure matris detractum ad itineris impenſas pignoraviſſe* traditur[k]. Atque Alexander Severus, “ quum Regis exteri Legatus quidam uxori ſuæ uniones duos, “ magni ponderis et inuſitatæ menſuræ, obtuliſſet, vendi eos “ juſſit. Qui quum pretium non invenirent, ne exemplum “ malum a regina naſceretur, ſi eo uteretur, quod emi non “ poſſet, inauribus Veneris eos dicavit[l].

Haud tamen credendum eſt, veteres iſtos in luctu ita dementes fuiſſe, ut inaures illas inſigniores, in defunctorum tumulos abjicerent, ſed vulgares potius quaſdam et quotidianas; quales illæ ſane omnes eſſe apparent, quas ex variis eruditorum muſeis a Montfauconio collectas, ac delineatas videmus[m]: quarum nulla profecto, aut opere, aut materia aut pretio, huic noſtræ anteferenda videtur.

TABULA IX.

Prima Tabulæ hujus figura operculum libelli veteris eburneum exhibet: hujuſmodi vero libelli, Pugillares appellabantur; quos quidem Romani, ſive litteris ſive negotiis dediti eſſent, ſecum circumferre ſolebant, ut quicquid ſibi, vel meditantibus vel agentibus, notatu dignum occurreret, illud ſtatim perſcribere atque notare poſſent: nam ad notas breves excipiendas, pugillares potiſſimum adhibitos eſſe, conſtat.

---

[i] Sat. l. 2. 3. 239. Decies ſolidûm, Baccæ hujus pretium, octo millia librarum Anglicarum et paullo plus valuiſſe putatur.

[k] Sueton. in Vit. c. 7.

[l] Lamprid. c. 15.

[m] Vid. Antiqu. Vol. 3. l. 2. c. 3.

Puer notarum præpetum
Sollers miniſter, advola.
Bipatens Pugillar expedi,
Cui multa fandi copia,
Punctis peracta ſingulis[n]. &c.

Venor aliquando, inquit Plinius, *ſed non ſine pugillaribus*[o]; nam inter venandum, dum ſocii ejus apros perſequebantur, *ipſe*, ut ad Tacitum ſcribit, *ad retia ſedebat*; *non venabulum aut lanceam, ſed ſtylum et pugillares in proximo tenens, meditanſque aliquid ac enotans, ut ſi manus vacuas, plenas tamen ceras reportaret*[p].

Pugillarium horum folia ex rebus variis effecta fuerunt: maxima pars, *e laminis ligneis, cera illitis,* in quibus ſtylo ſcribebatur, nonnulla tamen ex ebore, membranis, aut plumbo. De Citreis item, membraneis atque eburneis, epigrammata quædam Martialis extant. Plumbei vero in Sarcophago antiquo reperti effigiem, huic noſtræ haud abſimilem, a doctiſſimo Bonannio deſcriptam cernimus; cui ſeptem laminæ, ſeu folia plumbea, litteris referta erant: ſed quia nullus omnino ſenſus ex litteris iſtis elici poterat, librum ipſum ad Taliſmanorum claſſem referendum, atque *ad Manes fortaſſe placandos, Dæmoneſve fugandos in Sarcophago iſto reconditum eſſe, vir ille eruditus cenſet*[q].

Noſter autem pugillaris an ob eandem cauſam in ſepulchro conditus fuerit, haud facile dixerim; ſed in Familiæ Paſſienæ ſepulchro, juxta viam Appiam, anno 1710, Romæ repertus fuit. Folia ei quidem membrana erant, ſed ita lacera penitus ac vetuſtate abſumpta, ut nihil inde aliud colligi poſſet, ac quod litteræ in eis olim perſcriptæ, latinæ eſſent. Pugillaris ejuſdemmodi figuram, in monumento mulieris ſepulchrali inſculptam,

---

[n] Auſon. Epigr. 146.

[o] Epiſt. l. 9. 36.

[p] Ib. l. 1. 6.

[q] Muſeum Kircher. p. 180. Tab. 60.

ptam, apud Fabrettum videre licet; ex qua ſcilicet vir doctus, mulierem iſtam *notarum deſcribendarum ſtudio ac ſollertia* præſtitiſſe, indicatum eſſe putat[r]. In inſcriptione quoque antiqua apud Gruterum, T. quidam Tarfenius, inter alia multa, Municipibus Rheginis teſtamento donata, *Pugillares membranaceos, operculis eboreis* legaſſe dicitur[s].

SECT. II.

SEcunda figura, ex ære conflata, Tibicinis ſpeciem quandam ſingularem, atque ex omnibus, quas vidi, Tibicinum Imagunculis, unicam plane, præ ſe fert. Qui hujuſmodi Tibiis canebant, vel græco nomine Aſcaulai, vel Utricularii, a ſcriptoribus Romanis vocantur[t]. Has autem Tibias, etſi raro admodum a veteribus memoratas, quippe quæ plebeculæ potiſſimum in pretio fuerint, antiquiſſimas tamen eſſe, Cæſarumque ſaltem temporibus, ad ludos et convivia adhiberi ſolitas accepimus. Quippe Nero, ut Suetonius ſcribit, cum Muſicorum genus omne, in ſua quemque arte ac inſtrumento, cantando ſuperare ſtuderet, *ſub exitu vitæ palam voverat, ſe, ludis publicis, proditurum etiam Utricularium*[u]

Tibicinis noſtri os, perſona ſcenica tectum, veſtituſque mimicus, haud artis ſuæ proprius, ſed ad riſum jocumque plane accommodatus, hominem ex illo γελωτοποιῶν Ludionum, Morionumve grege fuiſſe oſtendit, qui ad hilaritatem in conviviis excitandam a divitibus adhiberi ſolebant. Luxus hujus originem Livius ab Aſia devicta deducit; *tunc Pſaltriæ*, inquit, *Sambuciſtriæque et convivalia Ludionum oblectamenta addita epulis*[w]. De quibus epularum oblectamentis, exſtat Epiſtola quædam Plinii ad Genitorem ſuum, quæ ab argumento noſtro haud aliena videtur.

---

[r] Vid. Fabrett. Inſcript. p. 206.

[s] Vid. Gruter. p. 174. 7.

[t] Martial. l. x. 3. Utriculi, ſive Tibiæ Utricularis figuras et Pignorius et Montfauconius ediderunt: ſed Tibicinis Utricularii Imagunculam, neque in rerum antiquarum collectionibus recenſitam, neque in libris unquam deſcriptam animadverti. Vid. Pign. de Servis. p. 82. Montf. Supplem. Vol. 3. l. 8. c. 2.

[u] Suet. Ner. c. 54. Inſcriptionem antiquam L. IVLIO SECUNDO VTRICVLARIO dicatam apud Gutherium legimus: de Jur. Manium. l. 2. c. 12.] Atque apud Gruterum, de VTRICVLARIORVM etiam Corporibus ſeu Collegiis, in Coloniis conſtitutis, Inſcriptiones quædam extant, quæ tamen non ad Tibicinum noſtrorum gregem, ſed ad Nautarum ſeu Piſcatorum genus quoddam referendæ ſunt, quorum lintres ſeu naviculæ, Utriculi etiam vocabantur. [Vid. Grut. p. 547, 649. 448.]

" Accepi tuas litteras, quibus quereris, tædio tibi fuiſſe " quamvis lautiſſimam cœnam, quia Scurræ, Cinædi, Moriones menſis inerrabant. Vis tu remittere aliquid ex rugis? " Equidem nihil tale habeo, habentes tamen fero. Cur ergo " non habeo? quia nequaquam me ut inexpectatum feſtivumve delectat, ſi quid molle a Cinædo, petulans a Scurra, " ſtultum a Morione profertur. Non rationem ſed ſtomachum " tibi narro. Atque adeo quam multos putas eſſe, quos æque " ea, quibus ego et tu capimur et ducimur, partim ut inepta, " partim ut moleſtiſſima offendant? quam multi, cum lector, " aut lyriſtes, aut Comœdus inductus eſt, calceos poſcunt, " aut non minori cum tædio recubant, quam tu iſta, (ſic " enim appellas) prodigia perpeſſus es? Demus igitur alienis " oblectationibus veniam, ut noſtris impetremus. Vale[x]."

Alexander Severus, ut a Lampridio ſcriptum legimus, *Nanos et Nanas, et Moriones et Vocales exoletos, et omnia acroamata et Pantomimos, quæ Eliogabali ad menſam miniſteria fuiſſent, populo donavit*[y]. Martialis autem Morionem quendam deſcribens, *acuto capite, auribuſque longis*, ad hanc Tibicinis noſtri figuram fere alludere videtur.

---

[w] Lib. 39. c. 6. [x] Epiſt. l. 9. 17. [y] In Alex. Sev. c. 34.

Hunc vero acuto capite, et auribus longis,
Quæ ſic moventur, ut ſolent Aſellorum,
Quis Morionis filium neget Gyrthæ[z]*?*

In hac autem γελωτοποιῶν claſſe, de Mimaulis etiam mentionem factam animadverti: quo nomine mimorum genus quoddam denotari videtur, qui vel ad tibiam geſtus agere, vel tibia ſimul canere et geſticulari ſolebant: atque de hoc genere figuras quaſdam Scenicas, fiſtula canentes, et geſtu ſimul ridiculo ſaltantes, in marmoribus interdum antiquis, exſculptas invenimus[a].

Hoc denique Ludionum genus omne, quo partes ſuas, in conviviis, ludiſque publicis, commodius ageret, ſaleſque et dicteria in vulgus liberius ſpargeret, perſonæ cooperimento tectum prodiiſſe conſtat. Permultas ſane perſonarum harum figuras, e veterum monumentis deſumptas, a viris eruditis in lucem editas videmus; quarum pleræque eadem plane forma, ac Utricularii noſtri perſona, eſſe apparent: qualeſque a Varrone et Luciano, *Perſonæ iſtæ antiquæ* deſcribuntur; *diſtortis ſcilicet oribus deformes, ac immane quiddam hiantes, quaſi ſpectatores devoraturæ*[b]*:* atque hinc infantibus eas puerulisque terrori ſemper fuiſſe legimus.

Cum perſonæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans[c].

SECT. III.

Tertia iſta, ex ære itidem Imaguncula, ſervi ad menſam miniſtrantis, ſeu Pocillatoris antiqui effigiem exhibet;

---

[z] Epig. l. 6. 39.

[a] Vid. Dempſter. Etrur. Antiq. T. 1. p. 413.

[b] Varr. de lign. lat. l. 6. it. Lucian. Dial. de Saltatione.

[c] Juven. Sat. 3. 175.

eo prorſus habitu, quo Servuli divitum Triclinarii, cum a ſcriptoribus deſcripti, tum in marmoribus ficti reperiuntur. Pueri ſcilicet formoſi et delicatuli, pulchre calamiſtrati, tuniciſque nitidis, ad genus uſque ſuccincti.

> —— —— *ut omnes*
> *Præcincti recte pueri, comptique miniſtrent*[d].

Immanem nempe Romanorum veterum luxum, in ſervorum iſtiuſmodi numero ac delectu, ſcriptores fere omnes commemorant, ac nonnulli graviter reprehendunt. Apuleius cœnam Fotidis deſcribens, " Diribitores, inquit, pluſculi, ſplendide " amicti, fercula copioſa, puellæ ſcitulæ miniſtrantes; pueri " calamiſtrati, pulchre induſiati, gemmas formatas in pocula " vini vetuſti frequenter offerentes[e]. Convivia mehercule " horum, inquit Seneca, non poſuerim inter vacantia tem- " pora, cum videam quam ſoliciti argentum ordinent; quam " diligenter exoletorum ſuorum tunicas ſuccingant;—— " Quanta celeritate, ſigno dato, glabri ad miniſteria diſcur- " rant[f]." Alio etiam loco, " Quæris, inquit, quam paribus " miniſteriis et levibus afferatur cibus?——ambitioſa non eſt " fames——et ſi pertinere ad te judicas, quam crinitus puer, " et quam perlucidum tibi poculum porrigat, non ſitis[g]."

Philo vero Judæus, dum in mollem iſtum ac delicatulum ſervorum, in Tricliniis miniſtrantium, gregem invehitur, hunc ipſum Pocillatoris noſtri ornatum depingere pæne videtur. " Adſunt, inquit, Servi miniſtrantes, pulcherrimi illi quidem " et formoſiſſimi; quaſi non tam miniſtrandi, quam convivas " aſpectu ſuo delectandi gratia, adhibiti. Ex his minores

---

[d] Hor. Sat. l. 2. 8. v. 70.
Aſtabat Domini menſis pulcherrimus ille
Marmorea fundens nigra Falerna manu.
Martial. l. 8. 56.

[e] Metamorph. l. 2. p. 52.

[f] Sen. de Brev. Vit. c. 12.

[g] Id. Epiſt. 119.

“ natu pueri vinum fundunt, majores aquam afferunt; loti,
“ glabrique, vultu fucato, capilliſque in cincinnulos eleganter
“ plexis. Comam enim alunt, vel omnino intonſi, vel a
“ fronte tantum præſectis in orbem crinibus. Tenuiſſimas,
“ candidaſque præcincti tunicas, anteriore parte ad genua
“ demiſſas, poſteriore aliquantulum infra poplites, utramque
“ partem tæniis duplicatis, ſecundum commiſſuras tunicæ,
“ adſtringentes: ſinus ex lateribus in altum tollentes ſeu ventilantes;
“ ac tunicæ latera dilatantes ad munera attenti convivas
“ obſervant. Adſunt etiam alii adoleſcentes, vix prima lanugine
“ effloreſcentes, amatorum nuper ſuorum deliciæ, atque
“ ad miniſteria graviora diligenter admodum exercitati: Dominorum
“ opulentiæ, uti illi quidem, qui eis utuntur, exiſtimant,
“ ut vero ſeſe res habet, ſtultitiæ oſtentatio[h].

Ex hoc Servorum grege, Pueros Alexandrinos, Romanis omnium maxime in deliciis fuiſſe conſtat. Quippe qui natura dicaces, jociſque et ſalibus dediti erant, artibuſque etiam iſtis, quibus convivæ inter cœnandum delectari ſolent, cantandi præſertim et ſaltandi plerumque inſtructi. “ Tandem ergo
“ diſcubuimus, inquit Petronius, pueris Alexandrinis aquam
“ in manus nivatam infundentibus, aliiſque inſequentibus ad
“ pedes; ac paronychia cum ingenti ſubtilitate tollentibus.
“ Ac ne in hoc quidem tam moleſto tacebant officio, ſed obiter
“ cantabant[i], &c.”

Horum puerorum Mercator quidam celebris, Auguſti ætate, Thoranius floruit, Imperatori ipſi familiaris[k]: de quo Plinius hanc hiſtoriolam narrat; “ Thoranius, inquit, M. Antonio “ jam Triumviro, eximios forma pueros, alterum in Aſia “ genitum, alterum trans Alpes, ut geminos vendidit; tanta “ unitas erat. Poſtquam deinde, ſermone puerorum detecta “ fraude, a furente increpitus Antonio eſt; inter alia magni-“ tudinem pretii conquerenti (nam ducentis mercatus erat “ ſeſtertiis) reſpondit verſutus ingenii Mango, ob id ipſum ſe “ tandi vendidiſſe; quoniam non eſſet mira ſimilitudo in ullis “ eodem utero editis; diverſarum quidem gentium natales “ tam concordi figura reperiri, ſuper omnem eſſe taxatio-“ nem[l].” Alius ejuſdem Thoranii jocus in Auguſtum ipſum illudentis, a Macrobio traditur. “ Auguſtus nimirum delec-“ tatus inter cœnam Symphoniacis Thoranii, frumento eos “ donaverat; cum in alia acroamata[m] nummis fuiſſet libe-“ ralis: eoſdem igitur poſtea quærenti inter cœnam Cæſari, “ Thoranius ſic excuſavit; *ad molam ſunt*[n].”

---

[h] Phil. de Vit. Contemplat. Gper. Vol. 2. p. 479. Edit. Londini.

[i] Petron. Arbit. p. 96. it. p. 121. De mancipiis, hiſce item Statius, [Silv. l. 5. 5.——v. 66.]

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, doctumve ſui convicia Nili
Infantem, linguaque ſimul, ſalibuſque protervum.

[k] Adultas ætate virgines denudarent et perſpicerent, tanquam Thoranio Mangone vendente. Sueton. Aug. c. 69.

Pocillator noſter altera manu lancem, altera poculum in effigiem cornu formatum tenet, cujus ima tamen pars in animalis cujuſdam ſpeciem deſinit. Etenim pocula, ab antiquiſſimis temporibus, ex animalium cornibus affecta eſſe legimus: cujus quidem generis nonnulla etiam hodie in curioſorum armariis reperiuntur: neque alia omnino, Pocillares hoſce, quorum Imagunculas mihi videre contigit, manibus unquam tenuiſſe animadverti[o]. Hinc Bachus ipſe ab antiquis corniger fingebatur; non, ut Feſtus ait, quod homines nimio vino truces fiant; ſed, ut Athenæus, quod e cornibus bibere ſolerent[p]. Quem quidem bibendi morem, apud Græcos obtinuiſſe ex Xenophonte diſcimus, qui ſe ſociosque ſuos ab expeditione Perſica reverſos apud *Paphlagones, Thraceſque vinum e cornibus largiter bibiſſe*, commemorat[q]. Philippus item Macedo, cum benigne aliquos excipere vellet, e cornu illis propinaſſe fertur. Sed poculorum horum labra, argento aurove plerumque cooperta, ac cornua item ipſa ex argento interdum ſolido conflata eſſe dicuntur: quorum fabricam uſumque Athenæus, qui M. Aurelii temporibus floruit, uſque ad ſuam ætatem manſiſſe, ſcribit[r].

---

[l] Hiſt. N. l. 7. c. 12.

[m] Acroama, vox græca eſt, latinitate donata, quæ lepidi aut feſtivi aliquid, quod in conviviis recitari aut cantari ſolebat; ſignificat; nec non homines interdum ipſos qui recitabant, cantabantve: hinc Nepos in vitâ Attici, *Nemo*, inquit, *in convivio ejus aliud acroama audivit, quam anagnoſten.*

[n] Macrob. Sat. 2. c. 4.

[o] Vid. Montf. Supplem. Vol. 3. l. 3. c. 2. it. Muſ. Etruſc. p. 190, 196. it. Cauſæi Muſ. Roman. p. 67. Fig. 39. it. Pignor. de Servis. p. 68.

Quod cornua vero a Romanis pariter ac Græcis ad bibendum adhibita fuerint, in conviviis præſertim eis, quibus hilarius epulari, largiuſque bibere propoſitum eſſet, ex his ipſis Pocillatorum Icunculis, quæ magno ſane numero adhuc extant, perſpicuum eſt. Sanctus Ambroſius, de ſeculi ſui ebrioſitate querens, militumqne præcipue compotationes temulentas deſcribens, “ Cornu, inquit, in medio, vini plenum: non “ præliaris ſed epularis inſtrumentum buccinæ, quod diſcumbentes in certamen accendat——primum minoribus poculis “ præluditur——ubi res calere cœpit, poſcunt majoribus poculis——menſura proponitur, certatur ſub judice, ſub lege “ decernitur[ſ].” Atque alio deinde loco, “ Hos, homines, an “ utres verius æſtimaverim?——per cornua etiam fluentia in “ fauces hominum vina decurrunt, et ſi quis reſpiraverit, commiſſum flagitium, ſoluta acies, loco motus habetur[t].”

---

[p] —*Accedant capiti cornua, Bacchus eris.* —[Ov. Ep. Sapph. ad Phaon.] vid. Feſt. in voce Cornua. it. Athen. Deipnos. l. xi. p. 476. Hinc κεράσαι, vinum ſcilicet in cornu miſcere, et κρατὴρ, quaſi κερατὴρ, originem duxiſſe putantur.

[q] Xenoph. in Expedit. Cyri. l. 6. p. 444. & l. 7. p. 550. Edit. Oxon.

[r] Vid. Athenæum. ibid. Hieron. Mercurialis, animalium cornua a veteribus propterea bibendum uſurpata eſſe exiſtimat, quod contra venenum vim quandam habuiſſe crederentur——De Venen. l. 1. 17. it. Var. lect. 1. 24.

[ſ] Ambroſ. de Elia et Jejun. c. 13.

[t] Ibid. c. 17.

Poculum igitur ejuſmodi, quod Pocillator noſter dextra in altum ſublata tenet, ad veterem iſtum bibendi morem alludere, poculorumque eorum genus indicare, quod ad Sympoſia potiſſimum exhilaranda, convivaſque inebriandos, tanquam cumuli loco adhiberi ſolebat: quumque lex ea data erat, quam Cicero commemorat, ut aut biberent aut diſcederent[u].

TABULA X.

AVIS imaginem perpulchram, atque opere antiquo ex ære fictam, Tabula hæc delineatam exhibet: quæ in baſi itidem itidem ænea, ſive ara potius, quaſi ad cultum quendam divinum conſecrata, inſiſtit: quam quidem aram, ex nonnullis auri particulis in ſuperficie ejus adhuc reſtantibus, deauratam olim fuiſſe, conſtat. Imago vero ipſa, Ibis, opinor, Ægyptiæ germanam figuram indicat: quam tamen a diverſis auctoribus, diverſa interdum forma deſcriptam animadverti.

Cicero eam, *avem excelſam* eſſe ait, *cruribus rigidis*, *corneo proceroque roſtro*[w]; Strabo, *forma et mole corporis*, *Ciconiæ perſimilem*[x]. Atque ex horum teſtimoniis, generatim enuntiatis, ſcriptores nonnulli, atque illi quidem eruditiſſimi, Ciconiæ eam vel Grui prorſus ſimilem depingunt; roſtro ſcilicet oblongo, neque incurvato; et capite glabro, neque cirro ullo aut criſta ornato[y]. At vero Herodotus, qui avem ipſam in Ægypto ſæpiſſime viderat,

---

[u] In Verr. l. 1. Verres, ut Cicero ait, qui populi Romani legibus nunquam paruiſſet, tamen legibus eis, quæ in poculis ponebantur, diligenter parebat. Has bibendi leges Plinius enumerat, atque inter alias, *optima fide non reſpiraſſe in hauriendo*; *neque expuiſſe*; *nihilque ad elidendum in pavimentum ſonum ex vino reliquiſſe*. Hiſt. N. l. 14. c. 22.

[w] De Nat. Deor. l. 1. p. 210. Edit. Lamb.

[x] L. 17. p. 1179. B. Edit. Amſtel. 1707.

[y] Pignorius. Meuſ. Iſiac. p. 76. Fig. 29, Kircher. Obeliſc. Pamph. l. 2. p. 130.

crura ei ſane gruina, at roſtrum maxima ex parte aduncum tribuit[z]. Plinius etiam *roſtri ejus aduncitatem*, præcipue commemorat[a]: atque in obeliſko deinde Pamphilio, a Caracalla olim ex Ægypto Romam traducto, hanc avem capite aliquoties cirrato, inſculptam cernimus[b]. Quæ ſane omnia figuram noſtram, uti dixi, ad Ibim plane referendam eſſe oſtendunt.

Duas autem Ibium ſpecies in Ægypto fuiſſe, traditur[c]: unam, partim albam, partimque nigram; alteram penitus nigram: atque hanc cum ſerpentibus præcipue bellum geſſiſſe ac magno propterea in honore fuiſſe accepimus. “ Fama eſt, inquit “ Herodotus, ſerpentes quoſdam alatos, vere ineunte, ex Arabia in Ægyptum verſus volare, Ibes vero ad ingreſſum eis “ occurrentes, aditu prohibere, omneſque interimere[d]. Ipſi “ inquit Cicero qui irridentur Ægyptii nullam belluam, niſi ob “ aliquam utilitatem, quam ab ea caperent, conſecraverunt. “ Ibes maximam vim ſerpentum conficiunt; avertunt peſtem ab “ Ægypto, cum volucres angues, ex vaſtitate Libyæ vento “ Africo invectas, interficiunt, atque conſumunt[e].” Hoc idem a Plinio quoque confirmatur; qui contra *ſerpentum horum adventum, Ægyptios Ibes ſuas*, tanquam numina quædam, *invocare ſolitos* declarat[f].

At vero non ob Serpentes modo conſumptos, ſed ob alia etiam, et majora illa quidem beneficia, Ibim divinis honoribus cultam legimus. Quippe Mercurius, corpore ejus veſtitus, *Ægyptum peragraſſe, artiumque variarum inventionem docuiſſe* dicitur[g]. Hinc litterarum quarundam formæ ab alitis huju membris ac geſtibus deductæ eſſe, hominesque clyſteris præſertim uſum ab ea primum didiciſſe, feruntur. Nam cum Ægyptii, ut Plutarchus ait, " Ibim, aquam marinam in alvum per roſ- " trum injicere, et ſeſe purgare viderint, idem illi quoque " facere didicerunt: Sacerdotes etiam, cum ſeſe luſtrarent, ea " ſemper aqua utebantur, e qua Ibes bibere ſolebant, quia " nullam unquam inſalubrem noxiamve illæ adire viſæ ſunt[h]."

---

[z] *Σκέλεα δὲ φορέει γεράνȣ, πρόσωπον δὲ ἐς ταμάλιστα ἐπίγρυπον.* lib. 2. p. 118. Edit. Lond.

[a] Hiſt. N. l. 8. c. 27.

[b] Vid. Obeliſc. Pamphil. a Kirchero delineat. p. 489.

[c] Herod. ibid. Ariſtot. Hiſt. Animal. l. 9. c. 27. Plin. l. x. c. 30. *Ibis circa Peluſium nigra eſt, ceteris locis omnibus candida* —quod ab Ariſtotele Plinius tranſtulit.

[d] Herod. ib. p. 117.

[e] De Nat. Deor. l. 1. p. 210.

[f] L. x. c. 28.

[g] Vid. Kircher. Obel. Pam. p. 234.

Ob hæc, inquam, beneficia Ibis, una cum ceteris Ægypti animalibus, conſecrata fuit. Nam cum " Ægyptus, ut Hero- " dotus tradit, beſtiis non multum abundaret, omnes in ea " repertæ, legibus ſacræ conſtituebantur. His igitur beſtiis, " qui in urbibus præcipue degebant, vota facere, atque ali- " menta præbere ſolebant; et ſiquam earum aliquis volens " necaverat, morte mulctabatur; ſin nolens, ea pœna, quam " Sacerdotes juberent: quiſquis vero Ibim aut accipitrem, " ſive volens, ſive nolens interfeciſſet, eum morte puniri neceſſe " erat[i]."

Hanc Ægyptiorum ſuperſtitionem, tanquam mirabile quod- " dam inſaniæ ac vecordiæ indicium, Cicero ſæpenumero com- " memorat. " Ægyptiorum morem quis ignorat? inquit, quo- " rum imbutæ mentes pravitatis erroribus, quamvis carnifici- " nam prius ſubirent, quam Ibim aut Aſpidem, aut Felem, " aut Canem, aut Crocodilum violent. Quorum etiam ſi " imprudentes quidpiam fecerint, pœnam nullam recuſent[k]." " Atque alio loco: " at vero ne fando quidem auditum eſt, " Crocodilum, aut Ibim, aut Felem violatam ab Ægyptio[l]."

---

[h] De Solert. Animal. p. 974. C. Hoc idem etiam Cicero indicat, ubi *alvo ſe Ibes Ægyptias curaſſe*, dicit. [Nat. Deor. l. 2. p. 233.] Plinius autem apertius, *ſimile quiddam, inquit, et volucris in eadem Ægypto monſtravit, quæ vocatur Ibis; roſtri aduncitate per eam partem ſe perluens, qua reddit ciborum onera maxime ſalubre eſt.* [l. 8. c. 27.] Vid. Ælian. de Nat. Animal. l. 2. c. 35. &. l. 7. 45.

[i] Herod. l. 2. p. 115.

[k] Tuſc. Quæſt. l. 5. p. 189.

[l] Nat. D. l. 1. p. 207.

Ibes igitur, cum tanta religione in Ægypto cultæ, ac publice altæ eſſent, cumque humano quaſi convictu atque urbibus fruerentur, cicures demum, manſuetaſque fieri neceſſe erat: neque mirum ideo illud videri debet, quod a Strabone memoriæ proditum eſt; eas nempe in “Alexandriæ, Urbis refertiſſimæ, vicis triviiſque tam frequentes reperiri, ut moleſtiam pariter ac utilitatem civibus darent: utilitatem, quia et ſerpentes, et macellorum etiam ſordes omnes devorabant; moleſtiam vero, quia omnivoræ atque immundæ, neque a mundis alieniſque contaminandis facile prohibendæ erant[m].”

Alia ſane permulta de Ibe tradita reperio, at nimis illa quidem fabuloſa, quam ut fidem ullam mereri videantur. Illud tamen haud prætereundum, quod ab Æliano ſcriptum legimus; hanc avem Ægypti propriam eſſe, neque *extra ejus fines unquam evolaſſe*; *et ſi ab aliquo inde exportata eſſet, ſibi ipſi mortem ſemper fame conſciviſſe*[n].

Jam vero ſi quærat quiſpiam, quam demum ob cauſam, uſumve hæc noſtra figura ficta olim fuerit; ab Ægyptio ſane aliquo Romæ degente, vel a Romano fortaſſe, Ægyptiorum ſuperſtitioni ritibuſque addicto, eam olim comparatam eſſe conjicerem, ut in Larario ſuo, inter Deos cubiculares colendam poneret. Nam ad cultum quendam religioſum et domeſticum eam conſecratam eſſe, baſis ejus, uti dixi, deaurata indicare videtur: atque hanc adeo Ibis noſtræ effigiem, perinde ac alia iſta Ægypti portenta, in quæ Juvenalis invehitur, auream olim ſtetiſſe veriſimile eſt.

> *Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens*
> *Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat*

---

[m] Strab. l. 17. p. 1179.

[n] Hiſt. Animal. l. 2. c. 38. Hinc in Numiſmatibus antiquis, Hadriani præſertim Imperatoris, Ibim ſæpe, tanquam Ægypti ipſius ſymbolum inſculptum videmus. Vid. Vaill. et Havercampt. in Hadr. Numiſ.

Pars hæc: illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibim.
Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci[o].

TABULA XI.

ÆSculapii et Teleſphori imagines, e marmore fictas, ac quales in numiſmatibus, monumentisque antiquis perſæpe exhibentur, ſibi invicem hic adjunctas, cernimus. Æſculapius, medicinæ Deus, tanquam humani generis ſervator, ſalutiſque dator, a veteribus invocatus erat[p]. Vultu ille quidem ſenili, Jovique ſimillimus depingitur, neque ab eo fere, niſi ſymbolorum diverſitate, dignoſcendus. Minucius eum bene barbatum vocat, Apollinis *licet ſemper adoleſcentis filium*[q]. Atque hinc vafer iſte Syracuſarum Tyrannus, ut a Cicerone ſcriptum legimus, *barbam ejus auream, de templis demi juſſit.* neque enim convenire, barbatum eſſe filium, cum in omnibus fanis, Pater imberbis eſſet[r].

Hoc fere amictu ſemper indutus fingitur; pallio nimirum talari, at in ſinus ita collecto, atque in humerum lævum injecto, ut pectus, brachiumque item dextrum nudum appareat, Atque hunc amictum viri docti eundem eſſe credunt, ac quem Poetæ veteres *Pæonium* appellant, medicifque quaſi proprium attribuunt.

— — *Ille retorto*
Pæonium in morem ſenior ſuccinctus amictu,
Multa manu medica, Phœbique potentibus herbis

---

[o] Sat. 15. 1.

[p] Æſculapius iſte, quem prædicatis, Deus præſtans, Sanctus Deus, ſalutis dator, Valetudinum peſſimarum Propulſator. &c. Arnob. con. Gent. l. 7. juxt. fin.
In Numiſmat. Antonini Pii, CΩTHPI ACKΛHΠIΩ. Sevatori Æſculapio. it. in nummis Coorum. &c. Vid. Spanheim. 217. it. Gruter. Inſcript. p. 68, 69, &c.

[q] Octav. p. 180. Edit. Varr.

[r] De Nat. Deor. l. 3.

Nequicquam trepidat[s].——
—— —— *ritu ſe cingit uterque*
Pæonio[t]——

Brachium autem Dei pectuſque nudum, fidem eam atque integritatem, dextramque ad opem uſque ferendam paratam denotant, quibus medicorum maxime laus continetur.

——*Hunc medicus multum celer atque fidelis*
Excitat[u]. —— ——

Quinetiam in numiſmatibus, marmoribuſque antiquis, Dei hujus ſigna, in baculum a ſerpente circumplicatum innixa fere omnia videmus. *Diceres*, inquit Apuleius, *Dei medici baculo, quod ramulis ſemiamputatis nodoſum gerit, ſerpentem generoſum lubricis amplexibus inhærere*[w]. Atque hoc idem baculum, caſu licet aliquo jam abruptum, ad noſtram tamen imaginem adjunctum olim eſſe liquet; cujus altera extremitas in foramen, quod in baſi marmorea adhuc vacuum reſtat, inſerta fuiſſet; altera vero inter brachium imaginis latuſque dextrum, ad axillam uſque pertinuiſſet. Nonnulli ſerpentem, qui pelle vetuſta depoſita novam quotannis induit, tanquam ſanitatis et juventutis ſymbolum, Æſculapio tributum exiſtimant; quo Dei hujus ope, homines morbis levari ac juventuti quodammodo reſtitui, ſignificaretur[x]. Plinius autem ſerpentem, Æſculapio idcirco dicatum eſſe ſcribit, *quia multa ei remedia ineſſe credebantur*[y]. Quod a Statio item indicari videtur,

---

[s] Virg. Æn. 12. 400.

[t] Stat Sylv. 1. 4. 107.
Intortos de more accinctus amictus.
Sil. Ital. l. 5.

[u] Hor. Sat. l. 2. 3. 147.
Corporis auxilium medico comitte fideli.
in Diſt. Caton. adſcript.
Cicero item de Aſclapone medico, mihi inquit, tum ipſa ſcientia, tum fidelitate —ſatisfecit. Ep. Fam. 13. 20.

[w] Metam. l. 1. juxt. init.

[x] *Anguibus exuitur tenui cum pelle vetuſtas.* Ov. Art. Am. 3. 78. Ὅτι καθάπερ ἐκεῖνος ἀποδύεται τὸ γῆρας οὕτως ἡ Ιατρικὴ τῶν νοσῶν ἐλευθεροῖ. Theodoret. Serm. 8. de Martyr. Vol. 4. p. 596.

[y] Hiſt. N. l. 29. 4.

—— —— Maximus ægris
Auxiliator adeſt, et feſtinantia ſiſtens
Fata; ſalutifero mitis Deus incubat angui[z].

At vero Æſculapium ipſum ſub ſerpentis olim ſpecie cultum eſſe, et ſub ea formam Romam, circa annum Urbis CCCCLXII, cum peſtilentia gravi urbs laboraret, Epidauro primum advectum accepimus; neque citius ad urbem acceſſiſſe, quam de navi ſponte dilapſum, in inſulam Tyberinam tranſnaviſſe, ac peſtilentiam, cujus cauſa quæſitus fuerat, reſtinxiſſe[a].

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis.
Inſula nomen habet——
Huc ſe de Latia pinu Phœbeius anguis
Contulit[b]—— ——

Hinc Ædes illi ſtatim magna religione in Inſula conſecrata eſt: atque Inſula deinceps ipſa in navis formam redacta: qualem eam interdum in urbis antiquæ tabulis delineatam cernimus[c]. Attamen Dei ipſius ſimulacra, cum e marmore ficta, tum coloribus picta, non ſerpentis poſtea ſpecie, ſed eo plane habitu, quem ſupra diximus, in Templis paſſim dicari cœperunt[d].

In his Æſculapii fanis, ægroti cubare, ac ſomniorum ab eo immiſſorum monitu, morborum ſuorum remedia perdiſcere ſolebant[e]: quod monumenta ſane permulta, ob morbos ejus ope levatos, ei publice dicata, atque hodie etiam extantia, teſtantur[f]. Hinc Templa ejus donis referta legimus, quæ *remediorum ſalutarium mercedem*, ut Livius ait, *ægri ſacraverant Deo*[g]. Atque ex *his ſomniis, viſiſque nocturnis*, diuturno uſu atque obſervatione comprobatis, *artem ipſam Medicam* conſtitutam eſſe, Jamblichus declarat[h]. Quippe ægrorum, Dei hujus ope ſanatorum, nomina et morbi et curationis ratio, in Tabulis marmoreis a ſacerdotibus deſcripta atque in Templis ejus ſuſpenſa erant: quarum quidem tabularum fragmentum quoddam memorabile, in Inſula ipſa Tyberina repertum, Gruterus edidit; in quo cæcis duobus, curatione quadam a Deo præſcripta, *viſum redditum eſſe, populo inſpectante ac gratulante*, ſignificatur[i]. Hæc autem remedia, in Templo Dei, conſpectui omnium propoſita, Hippocrates ipſe, ut Plinius ait, *exſcripſiſſe traditur, et Templo jam cremato, inſtituiſſe medicinam eam, quæ Clinice vocatur*[k].

---

[z] Stat. Sylv. 3. iv. 23.

[a] Val. Max. 1. 8. Hinc ſerpentis adventus in Numiſmate Antonini Pii pulchre deſcriptus cernitur apud Montfauconium. Supplem. Vol. 1. l. 5. c. 1. Tab. 26.

[b] Ovid. Metam. l. 15. 739.

[c] Vid. Jac. Laur. Antiq. Urb. Splend. p. 31. Marlian. Urb. Topogr. l. 5. p. 107.

[d] Plin. Hiſt. l. 34. 8. 35. xi.

[e] An Æſculapius poteſt præſcribere per ſomnium curationem valetudinis, Neptunus Gubernantibus non poteſt? Cic. de Div. 2.
Οὕτως ἐν Ασκληπιοῦ μὲν τὰ νοσήματα τοῖς θείοις ὀνείροις παύεσθαι
Jamblich. de Myſter. § 2. c. 3.

In hanc igitur Æſculapii Inſulam, Romani mancipia ſua ægra, morbiſque affecta exponere, atque omni alia ope deſtituta, Dei tutelæ committere conſueverunt; donec Claudius Imperator, quo tam immanem dominorum erga ſervos crudelitatem cohiberet, edicto ſanxit, "ut omnes qui exponerentur, "liberi eſſent, nec redirent in ditionem domini, ſi convaluiſ-"ſent: et ſiquis necare quem mallet, quam exponere, is cædis crimine teneretur[l]."

Attamen Æſculapium, non ægros profecto quoſlibet, ſed dignos tantum proboſque ſanaſſe, ſceleſtis vero, neque ſomnia, neque opem omnino ullam dediſſe, legimus[m]: quod quidem illi, cum a Chriſtianis, tum a Gentilibus interdum ipſis exprobatum eſt: etenim Arnobius, Chriſtianorum more, cultum ejus irridens, *cum medendi*, inquit, *artibus præſit, cur plurima morborum ac valetudinum genera ad ſanitatem perduci nequeunt*[n]*?* Ac Leno etiam quidam apud Plautum, qui in fano ejus ægrotus cubaverat, ita demum querens egreditur.

---

[f] Gruter Inſcript. p. 68. &c.

[g] Lib. 45. 28. Conſul Apollini. Æſculapio—dona vovere, et dare ſigna inaurata juſſus. Id. lib. 40. 37.

[h] Jamblich. Ibid.

[i] Gruter. p. 71. Ex hac Tabula, ut Montfauconius ait, vel Dæmonum in morbis infligendis ac pellendis poteſtatem, vel Sacerdotum Gentilium fraudes ac præſtigias colligere licet. Vid. Antiqu. Vol. 2. par. 1. l. 4. c. 6.

[k] Hiſt. N. l. 29. c. 1.

[l] Sueton. in Claud. c. 25.

[m] Exempla hujus rei varia a Philoſtrato commemorantur. lib. 1. c. 9. x.

> *Migrare certum eſt, jam nunc e fano foras,*
> *Quando Æſculapi ita ſentio ſententiam,*
> *Ut qui me nihili faciat, nec ſalvom velit:*
> *Valetudo decreſcit, accreſcit labor*[o].

Teleſphorus denique, qui Æſculapio, ut ſupra dixi, comes perſæpe adjungitur, convaleſcentium Deus habitus eſt; cujus munus proprium erat, ut nomen ejus indicat, morbis jam liberatos et convaleſcentes, ad perfectam ſanitatem perducere. Hunc autem a Nicæenſibus potiſſimum et Pergamenis, una cum Æſculapio, tanquam Deum Tutelarem, cultum, accepimus; ab aliis vero quibuſdam civitatibus, Evemeriona et Aceſium dictum. Forma ille ſemper puerili, ac pallio penitus coopertus fingitur; cui cucullus etiam plerumque annexus eſt, quo caput ejus omne, facie tantum excepta tegitur[p]: atque ſub hac eum ſpecie, in monumentis nummiſque antiquis ſæpiſſime exhibitum, et Æſculapio adjunctum videmus[q]. Forma autem ejus puerilis, palliumque penitus clauſum, infirmum iſtum debilemque convaleſcentium ſtatum denotare; ac multa adhuc cautione opus eis eſſe, ad perfectam ſanitatem recuperandam, ſignificare videtur.

---

[n] Con. Gent. l. 4. circa med.

[o] Curcul. Act. 2. Scen. 1.

[p] In noſtra tamen Teleſphori imagine, quod in aliis ejus figuris haud unquam animadverti, cucullus iſte de capite prorſus in humeros rejectus eſt.

[q] In Numiſmate quodam Antonini Pii, Nicææ percuſſo, græce inſcriptum legimus, Deo Teleſphoro Nicæenſium. [Morell. Spec. p. 52.] in Numiſmate item L. Veri, eum rurſus a Nicæenſibus una cum Æſculapio exhibitum cernimus. Atque in Numiſmatibus item Commodi ac Caracallæ, a Pergamenis. Vid. Oſſervaz. ſopr. alcun. Medaglion Antich. Da Buonarott. Tab. 4. 5. Tab. 6. 2. Tab. 7. 9. item de variis Teleſphori nominibus, vid. Pauſan. lib. 2. c. 7.

TABULA XII.

Figuram hanc æneam, quæ Apollinis, Bacchive ſpeciem, at nullis Deorum illorum ſymbolis inſtructam, præ ſe ferre videtur, Antinoi effigiem eſſe exiſtimo. Antinoum enim, Hadriani delicias, eximia forma adoleſcentem, e Bithynia oriundum, in Divorum numerum a Principe iſto relatum cognovimus——" Antinoum ſuum, inquit Spartianus, dum per " Nilum navigat, perdidit; quem muliebriter flevit: de quo " varia fama eſt: aliis, eum devotum pro Hadriano, aſſerentibus; aliis, quod et forma ejus oſtentat, et nimia voluptas " Hadriani: et Græci quidem, volente Hadriano, eum conſecraverunt, oracula per eum dari aſſerentes; quæ Hadrianus " ipſe compoſuiſſe jactatur[r]." Hadrianus certe Templa ei ſtatim, ſtatuaſque dicari juſſit; urbemque juxta eum locum, in quo mortuus eſt. Antinoi nomine inſtauravit[ſ]. Hinc in Inſcriptione quadam antiqua adhuc extante, Deorum Ægyptiorum Sunrhronus appellatur[t]: qui eoſdem ſcilicet honores, cultumque apud gentem iſtam, ac ceteri eorum Dii, obtinuerat.

At non in Ægypto tantum, ſed per totum fere terrarum orbem divinos Antinoo honores tributos eſſe legimus. Quippe cum Hadrianus Imperii Romani provincias peragraret, Civitates iſtæ omnes, in quibus commoratus eſt, inter ſeſe quaſi certaſſe feruntur, quænam Antinoi maxime cultum memoriam-que celebrarent; Deorum ſibi quæque propriorum honores atque inſignia ac formam etiam ei tribuentes; quibus eum quidem, in Civitatum iſtarum nummis, adhuc extantibus, inſtructum ſæpe videmus[u].

---

[r] Vid. Ælium. Spartian. in Hadr. c. 14.

[ſ] Dio. p. 793.

[t] —ΑΝΤΙΝΟωΙ
CΥΝΘΡΟΝωΙ ΤωΝ
ΕΝ ΑΙΓΥΠΤωΙ ΘΕωΝ
Μ. ΟΥΛΠΙΟC ΑΠΟΛΛΟΝΙΟC
ΠΡΟΦΗΤΗC
Gruter. p. 86. 1.

Mantinea autem, ut Pauſanias tradit, præter Templum ei dicatum, initia etiam quædam anniverſaria, ludoſque quinquennales in honorem ejus inſtituit; domumque præterea in Gymnaſio, et fictis, et pictis item ejus imaginibus egregie inſtruxit; quæ Bacchi potiſſimum inſignibus ornatæ erant[w].

Tarſus item, Ciliciæ Metropolis, in nummis ſuis, in honorem Antinoi percuſſis, Apollinis ei ſymbola, cum ipſo Novi Pythii titulo, attribuit[x]. Atque ſub Apollinis maxime forma illum a pleriſque civitatibus, cultum eſſe liquet. Cui quidem Deo, ſimulacra Antinoi omnia, quæ mihi videre contigit, quorumque plurima adhuc reſtant, et habitu corporis, et facie ipſa quam ſimillima apparent.

At vero inſanum hunc Antinoi cultum, ab ortu licet tam infami profectum, non Hadriano ſolum vivente, ſed, quod mirandum magis eſt, poſt mortem ejus diu floruiſſe, atque a Sanctis Eccleſiæ patribus, gentilibus ſæpe exprobatum eſſe legimus. *Noctes Antinoi ſacræ*, inquit Clemens, *etiam hodie ab hominibus celebrantur: quas is, qui cum puero vigilaverat, turpes eſſe cognovit. Quid mihi eum inter Deos refers, qui ſtupris honorem iſtum meruit?* Hieronymus etiam Hegeſippum ita querentem inducit; “ Tumulos mortuis, templaque fecerunt, ſicut hodie uſque

---

[u] Vid. Vaillant. Selectior. Numiſm. Max. Mod. p. 19. it. Buonarotti Oſſervaz. ſopra alcun. Medaglion. Tab. 2. p. 25.

[w] Pauſan. l. 8. c. 9. p. 617.

[x] Vid. Buonarott. ibid. p. 36. Nam ex omnibus antiquorum Deis, nonniſi hos duos eximia quadam oris venuſtate, perpetuaque juventute inſignitos legimus.

Solis æterna eſt Phœbo, Bacchoque juventa,
Nam decet intonſus crinis utrumque Deum.
Tibul. l. 1. 4.

—— *Tibi enim inconſumpta Juventus,*
Tu puer æternus —— ——
Ov. Met. l. 4. 17. de Baccho.

" videmus: e quibus eſt et Antinous, ſervus Hadriani Cæſaris, " cui et gymnicus agon exercetur Antinoius, Civitatemque ex " ejus nomine condidit, et ſtatuit Prophetas in templo[y]. Pru- " dentius denique in cultum ejus ita invehitur."

Quid loquar Antinoum cæleſti ſede locatum?
Illum delicias nunc Divi Principis; illum
Purpureo in gremio ſpoliatum ſorte virili,
Hadrianique Dei Ganymedem; non cyathos Diis
Porgere, ſed medio recubantem cum Jove fulchro[z]*?*

Figuræ hujus baſis opere item antiquo, atque egregio exſculpta eſt; at vero a Montfauconio dudum, e Muſeo Cardinalis Gualtieri deſcripta, ac Deæ Veſtæ imagini adjuncta cernitur[a]. Quam quidem poſt mortem Cardinalis, a Veſtæ Icuncula iſta, caſu neſcio quo, ſejunctam atque in Angliam advectam, ipſe pretio emendam, atque ad Antinoi noſtri effigiem accommodandam curavi. At neque Veſtæ, uti Montfauconius exſtimabat, neque ulli omnino ſimulacro, eam baſis olim vicem ſubiiſſe conſtat, ſed lucernæ potius ſeu Candelabri imam partem fuiſſe; ut ex foramine quodam amplo ac rotundo colligere licet, quod in parte ejus ſuperiore jam vacuum reſtat, nec niſi ad vaſculi cujuſdam ſtipitem truncumve excipiendum, paratum eſſe apparet[b].

---

[y] Clem. Alex. Cohort. ad Gent. p. 43. Edit. Oxon. et Hieron. de Viris Illuſtrib. in Hegeſippo. item Euſeb. Hiſt Eccl. l. 4. c. 8.

[z] Con. Sym. l. 1. 271.

[a] Supplem. Vol. 1. l. 2. c. 5. Tab. 6. p. 38.

[b] Fort. Licetus, baſim quandam triangularem, inſigni ſculptura ornatam, neque huic noſtræ ſimillimam exhibet, e qua, columella quædam, cui lucernæ duæ hinc inde appenſæ ſunt in altum exſurgit: *in apice vero cujuſque anguli,* ut Licetus ipſe baſim deſcribens ait, Sphinges *inſident miræ tres; capite barbati Sileni, collo prorſus humano, alis, ventre, caudaque draconis.* Atque ad ejuſmodi fortaſſe Candelabrum lucernamve, baſim itidem noſtram adjunctam olim fuiſſe, conjicere licet. Vid. Licet. de Lucern. l. 6. c. 14. p. 667. it. Montfauc. Vol. 5. l. 2. c. 9. Tab. 44.

Tripodis autem forma, quam baſis noſtra gerit, eam ad templorum uſum aliquem pertinuiſſe oſtendit; in quibus menſas, aruláſque etiam tripodes conſecrari cognovimus. Sed et ſculptura etiam quiddam notatu dignum præbet. Monſtrorum nempe ſpecies quædam ſingularis, neque alias fere viſa, ex ſingulis ejus angulis exſculpta prominet; quæ, cetera quidem, ſphingibus plane ſimillima ſunt, niſi quod facies illis fœminea ſemper ſeu puellaris, noſtris autem, virilis tributa eſt. At neſcio equidem, an Sphinges etiam mares a Veteribus interdum fingi ſolerent: quod nonnulli ſane, ex Philemonis loco quodam, ab Athenæo citato, indicari crediderunt; ubi homo quidam de Coquo ſuo, ænigmatice ſemper loquente, querens, ſe non Coquum ſed Sphingem marem in domum ſuam introduxiſſe dicit[c].

Iſtud tamen utcunque fuerit, ego profecto, ex monſtrorum noſtrorum alis, mammis, pedibuſque leoninis, quæ Sphingibus certe propria ſunt, artificem nonniſi Sphingum imagines exhibere voluiſſe arbitror: quas quidem Veteres iſtos ante Templa collocare, atque in Vaſculis quoque ſacris perſæpe inſculpere ſolitos cognovimus; quo res nimirum divinas myſticas eſſe, atque *ænigmatum involucris a profanis tegendas, ſignificarent*[d].

TABULA XIII.

BAcchi Imagunculam æneam hic delineatam habemus; de cujus ſymbolis, muneribuſque, cum a ſcriptoribus antiquis tantopere decantata, atque omnibus cognita ſint, plura hoc loco diſſerere, lectori certe faſtidioſum eſſet.

Altera vero iſta Icuncula, Hermarum forma, ex ære ficta, explanatione forſitan aliqua egere videatur; quippe cui nullam omnino ſimilem, vel in libris deſcriptam, vel in Muſeis aſſervatam vidi. Calathus iſte ſeu modius, quem capiti impoſitum gerit, Serapidis fere proprius habetur; neque alii cuivis Deo, niſi rariſſime attributus: facies autem imberbis juvenilis, Phœbum potius, Bacchumve, quam Serapim præ ſe ferre videtur, qui barbatus plerumque, Jovique aut Æſculapio ſimillimus fingi ſolet[e]. Cum vero Serapim Deorum fere omnium vicem Ægyptiis ſuis ſuppleviſſe, atque Apollinis potiſſimum, Solisve munera præſtitiſſe conſtet[f], haud alienum cenſeri poteſt, ut vultu ille quoque juvenili nonnunquam fingeretur; qualem illum quidem in lucernis veterum, gemmiſque anularibus exhibitum animadverti[g].

---

[c] Athen. l. 14. c. 22. p. 659.

[d] Clem. Alex. Strom. l. 5. p. 664, 671. &c.

At præter calathum, quo Serapis ſemper inſtructus eſt, radiis eum quoque, aureiſve, quas vocant, Solis comis, ornatum aliquando videmus[h]. Atqui figura item noſtra diadema ſeu coronam geſtat, punctis quibuſdam, ſed jam attritis diſtinctam, quæ radiorum fortaſſe ſpeciem olim exhibere potuiſſent: hoc autem utcunque fuerit, at calathus certe non niſi *fœcunditatis atque abundantiæ ſymbolum* eſſe intelligitur, quam Serapidis præcipue numen per terrarum orbem diffundere credebatur.

Principes Dei, inquit Varro, *ſunt Cælum et Terra*; *iidem qui in Ægypto, Serapis et Iſis*[i]. Serapidis autem cultus Romam nonniſi ſero, et poſtremis Reipublicæ temporibus traductus eſſe apparet. Quumque Fana ejus nonnulla *privatim intra urbem exſtructa eſſe*, indicatum eſſet, Senatus ea demoliri, nec niſi extra pomœrium ædificari, juſſit[k]: hinc meretrix quædam apud Catullum homines quoſdam lecticarios ſibi commodandos petit, qui ad Serapim eam deferrent[l]: nam ad ædes extra pomœrium poſitas, iter mulieri ſane longinquum fuerit, neceſſe eſt. Hæc autem ſacra, quum intra urbem rurſus graſſari, atque aperte celebrari cœpiſſent, Agrippa urbis Præfectus repreſſit, et *ne quis in Suburbano etiam, intra quingentos paſſus, ea perageret, edicto vetuit*[m]. Tiberius denique *ritus hoſce Ægyptiacos*, una cum Judaicis *etiam, penitus compeſcuiſſe*[n] dicitur.

---

[e] Vid. Dei hujus imagines a Montfauconio collectas. Antiqu. Vol. 2. Par. 2. l. 1. c. x. Tab. 40——N. B. Inter Deos iſtos, qui Hermarum interdum forma fingi ſolebant, Sponius, Hermanubim, exhibuit. Hunc igitur noſtrum quidni Hermeſerapim appellemus?

[f] Alexandria—Serapin atque Iſin cultu pæne attonitæ venerationis obſervat; omnem tamen illam venerationem Soli ſe ſub illius nomine teſtatur impendere, vel dum capiti ejus calathum inſigunt &c. Macrob. Sat. 1. 20—Serapim multi Æſculapium; —quidam Oſirim; plerique Jovem;—plurimi Ditem Patrem. Tacit. Hiſt. l. 4. 84. it. Diod. Sic. l. 1. c. 2.

[g] Vid. Fort. Licet. De Antiquor. Lucern. l. 6. c. 13. p. 1178. Vid. it. Montfauc. ib. & Gorlæi Dactylioth. Tab. 30.

[h] Vid. Montfauc. ibid. et Chifflet. de Gemmis Abraxeis. Tab. 26.

[i] De Ling. lat. l. 4. Si Dii ſunt illi quos colimus, cur non iu eodem genere Serapim, Iſimque numeremus?—Cic. Nat. D. 3. 19.

Hactenus quidem Ægyptiornm Deos, Romanis nonniſi invidioſos, ſuſpectoſque eſſe videmus; ſed haud magno deinceps temporis intervallo, intra urbem ipſam receptos, Templiſque conſecratos reperimus. De quorum numero Serapis Veſpaſiani potiſſimum auctoritate, Romanis commendatus eſſe videtur; qui Dei nimirum hujus ope ac monitu, *viſum cæco cuidam Alexandriæ, pro concione palam reſtituiſſe fertur*[o]. Atque hinc in filiorum ejus, Titi et Domitiani, nummis, Dei hujus effigiem, perinde ac in anulis antiquorum nonnullis, inſculptum videmus[p]: ad quem quidem morem Plinius, qui eadem ætate floruit, alludens, Statuas *Ægyptiorum numinum a viris quoque in digitis portari*, queritur[q].

Templum ejus in Circo deinde Flaminio poſitum, atque ab Imperatoribus ornatum[r], Serapimque ipſum, Dei magni Invictique nomine invocatum legimus; ut Inſcriptiones permultæ, ob beneficia accepta, morboſque ſanatos, ei dicatæ teſtantur[f]. Hunc enim, perinde ac Æſculapium, tanquam Deum Medicum, Salutiſque datorem, a Veteribus cultum eſſe liquet. "Quid convenit, inquit Cicero, ægros a conjectore ſomniorum potius quam a Medico petere Medicinam? An Æſculapius, an Serapis poteſt præſcribere per ſomnium curationem valetudinis, Neptunus gubernantibus non poteſt[t]?" Varro etiam, Ciceronis æqualis, (quorum ætate, Serapim nondum in honore Romæ conſtitutum diximus) in cultum ejus illudens, hoc diſtichon compoſuit.

---

[k] Dio. l. 40. p. 142. E.

[l] Catul. Epigr. x.

[m] Dio. l. 54. p. 525. B.

[n] Sueton. in Vit. c. 36.

[o] Suet. in Veſpaſ. c. 7. Cæci hujus, claudique etiam a Veſpaſiano ſanati hiſtoriam Tacitus quidem fuſius narrat; additque demum; *Utrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, poſtquam nullum mendacio pretium.* Hiſt. l. 4. c. 81.

[p] Muſ. Romam. p. 105. it. Gorlæi Dactyl.

[q] l. 33. 3.

[r] Iſium et Serapium decenter ornavit. &c. Lamprid. de Alexand. Sev. c. 26.

Hoſpes quid miras nummo curare Serapim?
Quid? quaſi non curet tantidem Ariſtoteles[u].

Jam vero, quum hæ Deorum Imagunculæ, ex ære aut marmore fictæ, et numero fere infinitæ, e Romanorum veterum ſupellectile ad hæc uſque tempora conſervatæ ſint; ſi quærat tandem aliquis, cuinam uſui inſervierint; et cur ſimulachra tam exilia tanto olim in numero ac pretio fuerint? Ratio ſane facilis atque expedita eſt. In ſingulis nempe ædibus, nobilium præſertim ac divitum, Lararium fuit, ſeu Sacrarium quoddam domeſticum, minutulis hiſce ſtatuis refertum; quibus ſacra quædam privata aut gentilitia facere, thus adolere, cultumque prorſus divinum tribuere ſolebant. "Apud Heium Mamertinum, ut Cicero ſcribit, ſacrarium erat magna cum dignitate a majoribus traditum, perantiquum: in quo ſigna pulcherrima quatuor, ſummo artificio, ſumma nobilitate—unum Cúpidinis e marmore, Praxitelis; alterum, Herculis egregie fac-

---

[f] Vid. Gruter. Inſcript. Vol. 1. p. 84. 8: 85. 3, 4, 8.—

[t] De Divinat. l. 2. 59.

[u] In Eumenid. apud Non. Marcell. de Propriet. Serm. c. 7. 105. in voce miras, pro miraris.——

“ tum ex ære, Myronis opus: item ante hoſce Deos erant “ arulæ, quæ ſacrarii religionem ſignificare poſſent. Erant “ ænea præterea ſigna duo, non maxima, ſed eximia venuſtate, “ virginali habitu atque veſtitu,—Canephoræ ipſæ vocabantur “ —quarum artificem Polycletum eſſe dicebant—hæc omnia “ ſigna ab Heio de Sacrario Verres abſtulit[w].”

Quinetiam in cubiculis quoque, Deos hoſce domeſticos, Lareſque interdum collocabant; et Cubiculares ideo appellabant. Atque hinc inter domûs Auguſtæ officia, ſervos, qui curæ Larium Cubiculi præfuere, commemoratos invenimus[x]: e qua quidem Deorum claſſe, “ Nero, ut Suetonius ait, Icunculam quandam puellarem, pro ſummo numine, trinis in die “ ſacrificiis, coluit; volebatque credi, ſe monitione ejus futura “ prænoſcere[y]. Galba quoque ſimulachrum Fortunæ æneum, “ cubitali majus, in parte ædium ſuarum conſecraſſe, ac men- “ ſtruis ſupplicationibus, et pervigilio anniverſario coluiſſe tra- “ ditur[z].” Atqui hæc eadem Fortuna, nonniſi ex auro poſtea ab Imperatoribus, in cubiculis ſuis conſecrata erat; quam Antoninus, jam moriturus, ad M. Aurelium, ſucceſſorem ſuum, transferri juſſit[a]. Neque hoc tamen a principibus ſolummodo, ſed a Philoſophis quoque factitatum legimus. Etenim Aſclepiades quidam Cynicus, Juliani Imperatoris amicus, *argenteum quoddam Deæ Cæleſtis figmentum, quocunque ibat, ſecum efferre, accenſiſque cereis in cubiculo venerari ſolitus fertur*[b].

---

[w] In Verr. 3. 2.

[x] Suet. in Domitian. 17. Ad harum autem imaginum cultum et cuſtodiam, Collegium etiam ſeu ſodalitium, Cæſarum temporibus inſtitutum fuiſſe, Fabrettus docet, quod *Collegium magnum Larum et Imaginum*, in Inſcriptionibus antiquis appellatur. [de Colum. Traj. p. 205.] in quarum una, *Signum Libertatis reſtitutæ*, ſub Galba Imperatore, *Imaginvm Domus Auguſtæ Cultoribus*, poſitum dicitur. Boiſſar. Tom. 5. p. 12.

[y] In Ner. c. 56.

[z] Suet. in Galb. c. 4.

[a] Vid. Capitol. in Antonin. P. c. 12. & M. Aurel. c. 7.

[b] Amm. Marcellin. l. 22. 13.

Inter Deos hoſce domeſticos, defunctorum etiam quorundam imagines, qui virtutis, ingenii, aut rerum geſtarum gloria floruiſſent, in cubiculis collocari, colique ſolitas cognovimus. Suetonius, ſe Auguſti *Imagunculam æream Hadriano Imperatori dono dediſſe ſcribit, quam Princeps iſte inter cubiculares poſtea coluit*[c]. Vitellius autem, quo Claudium adulando demereretur, *libertorum ejus, Narciſſi et Pallantis, imagines inter Lares conſecravit*[d], Sanctus Auguſtinus, *Marcellinam quandam, Carpocratis Heretici* diſcipulam, imagines *Jeſu, et Paulli, et Homeri, et Pythagoræ, adorando incenſumque ponendo,* coluiſſe dicit[e]: neque aliter fere Alexander Severus, in Larario ſuo, et *Apollonium, et Chriſtum, et Abraham et Orpheum et hujuſcemodi Deos habuiſſe* traditur[f].

At non domi ſolummodo, atque in Larariis, Imperatores olim ſimulacra iſta colere, ſed in itineribus etiam bellicíſque expeditionibus ſecum efferre ſolebant. Etenim Herculis Icuncula quædam menſura haud pedali, Lyſippi opus, a Martiale et Statio celebratur, quod Alexandro magno, et Hannibali et Syllæ deinceps in bellis ſuis omnibus comes fuiſſet[g]. At Syllam, Apollinis potius Imagunculam auream, Delphis ablatam, in ſinu circumtuliſſe legimus; eamque in præliis ſuis, militumque in conſpectu, *amplecti et orare ſolitum, ut promiſſa maturaret*[h].

---

[c] In Aug. c. 7.

[d] Suet. in Vitell. c. 2.

[e] De Hæreſib. § 7.

[f] Lamprid. in Alex. Serv. c. 29. Item Plinius Junior, de Titinio Capitone; *mirum eſt*, inquit, *qua religione, quo ſtudio imagines Brutorum, Caſſiorum, Catonum domi, ubi poteſt, habeat.* [Epiſt. l. 1. 17.] ita quoque Alexander Severus, *Virgilii imaginem cum Ciceronis ſimulachro, in ſecundo Larario habuit, ubi et Achillis et magnorum virorum.* &c. Lamprid. ib. c. 31.

[g] —*Non eſt fama recens, nec noſtri gloria cæli*
Nobile Lyſippi munus, opuſque vides.
Hoc habuit numen Pellæi menſa Tyranni,
Qui cito perdomito victor in orbe jacet.
Hunc puer ad Lybicas juraverat Hannibal aras:
Juſſerat hic Syllam ponere regna trucem.
Offenſus variæ tumidis terroribus aulæ
Privatos gaudet nunc habitare lares.
Mart. Ep. l. 9. 44.
vid. item Stat. Sylv. 4. 6.

Ex hoc igitur ſimulacrorum uſu cultuque, quem jam expoſui, haud mirum videri poteſt, quod tantus eorum numerus, ex urbis antiquæ ruinis erutus, atque ad hæc uſque tempora conſervatus ſit; quum omnes fere et Principum et privatorum domos, tum ornatus, tum religionis potiſſimum cauſa, eis refertas eſſe conſtet.

SECT. III.

IN Larariis autem iſtis, ædiumve privatarum ſacellis, arulæ ſemper quædam, ut ſupra dictum eſt, ante Imagunculas ipſas poſitæ fuere, in quibus thus odoreſque Diis Laribus incendere, dapeſve interdum, pro more, apponere ſolebant. Itaque figuram Tabulæ hujus tertiam, antiquo opere ex ære conflatam, ex arularum earum numero fuiſſe cenſeo. Baſis enim ejus tripes, ad uſum aliquem ſacrum eam pertinuiſſe, indicat; vertexque rotundus ac concavus, ad nihil fere aliud, ac thuris pauxillum excipiendum, accommodatus eſſe apparet. Quod veteres autem, thure aut farre, aut vino, Laribus ſupplicare, coronaſque interdum, feſtis diebus, offerre ſolerent, certiſſimum eſt.

O parvi, noſtrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, aut tenui ſoleo exornare corona[i].

---

[h] Plutarch. in Vit. p. 471. B. it. Valer. Max. l. 1. c. 2.—J. Cæſar etiam, uti Dio tradit, *Venerem armatam, in anulo inſculptam, geſtabat, qua quidem, Tesseræ loco, in maximis prœliis uti ſolebat*. l. 43. p. 235. A.

[i] Juven. Sat. 9. 137. Plautus etiam Larem ita loquentem introducit.

Huic filia una eſt: ea mihi quotidie
Aut thure, aut vino, aut aliquî ſemper ſupplicat;
Dat mihi coronas — Prolog. in Aulular.

In Muſeo Etruſco, a Franc. Gorio in lucem edito, figuram quandam tripodem, huic noſtræ haud abſimilem, deſcriptam cernimus, quam Vir ille eruditus, atque in rebus hiſce verſatiſſimus, Geniorum arulam eſſe declarat[k]: Genios autem iſtos, haud alios fere, ac Lares Penateſque ab antiquis habitos cognovimus[l].

Arulæ noſtræ forma plane perbella eſt; baſiſque ſculptili opere affabre ornata: cujus quidem ad exemplar, menſarum ſæpe, ſellarum, lectulorumque pedes, vel hodie etiam fabricatos videmus. Quippe ex hujuſmodi veterum monumentis, ac ſupellectilis antiquæ reliquiis, noſtrorum temporum opifices, qui in artibus ſuis famam ullam nomenque conſecuti ſunt, operum ſuorum modulos plerumque ſumpſiſſe cognovimus; laudemque eos maximam ſemper adeptos eſſe, qui priſcos illos quam diligentiſſime eſſent imitati.

TABULA XIV.

PRima Tabulæ hujus figura, Bacchæ cujuſdam, ſeu fœminæ in Bacchi ſacris initiatæ, imaginem præ ſe fert. Etenim Bacchus, cum ad Indos armis domandos proficiſceretur, multas ſecum mulieres in exercitu duxiſſe traditur; quæ lymphatico quodam furore actæ, tripudiis carminibuſque geſta ejus celebrabant, ac cultum ei divinum tribuebant. Quamobrem in perpetuam expeditionis iſtius memoriam, mulieres poſtea ad Bacchi ſemper ſacra adhibitæ erant; quæ, quia in Orgiis iſtis, inſanientium ſeſe more agitare, ac geſticulari ſolerent, græco nomine Bacchæ ac Mænades dictæ ſunt; velut Deus item ipſe, ab earum comitatu, Bacchus[m].

---

[k] Tab. 166. ejuſdem etiam formæ Arulas in Romanorum Imperatorum nummis ſæpe inſculptas cernere licet.

[l] Adhærent ergo ſingulis, et ſub nomine Geniorum aut Penatium domos occupant. His ſacraria conſtituuntur; his quotidie libatur, ut Laribus. Lact. Div. Juſtit. c. 28. Vid. it. Montfauc. Vol. 1. l. 2. c. 12.

Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ,
Ubi ſacra ſancta acutis ululatibus agitant[n].

Bacchæ vero noſtræ caput corona hederacea redimitum cernimus: Quippe hæc Bacchantium propria erat, ac mitra interdum et diadema a veteribus appellatur! quam Bacchus omnium primus inveniſſe, et capiti ſuo impoſuiſſe fertur[o]. Qui, ut Diodorus ait, ad repellendos capitis ex nimio potu dolores, *mitra caput cinxit, Regibuſque inde diadematis geſtandi exemplum dedit*[p]. Sed de Bacchi, et Bacchantium, atque ebriorum ſane omnium coronis, frequens admodum apud Poetas mentio occurrit. De Baccho ita Ovidius;

Bacche racemiferos hedera redimite capillos[q].

Tum de muliere Bacchi ſacra celebrante;

Cur hedera cincta eſt? hedera eſt gratiſſima Baccho[r].

Propertius deinde, de ebriis quibuſlibet.

Sobrius ad lites: at cum eſt impoſta corona,
Clamabis capiti vina ſubeſſe meo[ſ].

---

[m] Diodor. Sic. l. 4. p. 211, 212. &c. Edit. Han. it. Suid. in voce——

[n] Catull. de Aty. 64. Hi Bacchantium chori, ſive virorum, ſive feminarum, Thiaſi vocantur.

Inſtituit Daphnis Thiaſos inducere Baccho.
[Virg. Ecl. 5. 30.] hinc Bacchus apud Euripidem

Θίασος ἐμὸς, γυναῖκες, ἃς ἐκ βαρβάρων
Εκόμισα παρέδρους——
O Thiaſe mi, mulieres, quas ex barbaris
Eduxi comites—— in Bacch. v. 56.

Vid. it. Athenæum. l. 8. c. 16. p. 362. F. At vero Thiaſos hoſce, non Bacchi modo, ſed aliorum item Deorum fuiſſe, neque aliud omnino ac Sodalitium ſeu Collegium, in Dei alicujus honorem inſtitutum, ſodaliumque ipſorum conventum ſignificaſſe. Vir eruditus Ant. Van Dale demonſtravit. Diſſert. 9. c. 1.

[o] Plin. Hiſt. N. l. 16. 4.

[p] Diodor. Sic. ibid.

[q] Faſt. 6. 43.

[r] Ib. 3. 765.

[ſ] Propert. El. l. 4. 2. it apud Plautum; *Quid, tu, ego video?* Pſ. *Cum corona ebrium Pſeudolum tuum.* Pſeud. Act. 5. 2.

Cur autem ex hedera potiſſimum coronæ iſtæ contextæ fuerint, rationes quaſdam phyſicas a ſcriptoribus antiquis traditas accepimus; atque ab Athenæo præſertim in hunc ſenſum. "Bacchi cultoribus, quorum capita ex nimio potu dolerent, remedio aliquo opus erat. Itaque vinculum ſive ſertum in eum finem promptiſſimum reperiebatur, natura ipſa viam indicante. Nam cum capitis quidam dolore affectus eſſet, et compreſſu deinde ejus levatus, tum vinculum doloris iſtius remedium eſſe intellexit. Hanc igitur medicinam inter potandum poſtea adhibentes, corona præcipue hederacea caput revinciebant; quia hedera et magna copia et omni loco ſpontanea naſcitur; neque aſpectu ſane invenuſta, foliiſque virentibus ac corymbis frontem opacans, et abſque ullo odore incommodo præterea refrigerans[t]."

Sed aliam quoque rationem Plutarchus reddit; quippe "mulieres, inquit, Bacchicis furoribus correptæ, ad hederam recta feruntur, quam manibus ſtatim arripientes ac devorantes, diſcerpunt; ita ut non fide omnino indigni eſſe videantur, qui hederæ ſpiritum quendam ineſſe dicunt, qui inſaniam furoremque excitat, menteſque hominum labefacit, et abſque vini ope, ebrietate ac delectatione quadam eos potiſſimum afficit, qui ad concitationes ejuſmodi fanaticas natura procliviores ſint[u]." Hæc Plutarchi ſententia, a Plinio item confirmatur, qui *hederæ ſuccum, largius potum, mentem turbare, et caput purgare, nerviſque nocere,* ſcribit[w]. Atque ob hanc fortaſſe cauſam *hederam,* inter *doctarum præmia frontium* recenſitam, Poetiſque præſertim pro corona datam legimus[x]: propter ine-

---

[t] Athen. l. 13. c. 5. p. 675. it. Plut. Sympoſ. 3. p. 647. A.

[u] Plutarch. Quæſt. Rom. ad Fin.

[w] Lib. 24 c. x.

[x] Hor. Od. l. 1. 1. Cœlius item Aurelianus, Medicus antiquus, artis ſuæ experientia, ut credere licet, edoctus, hanc eandem vim Hederæ attribuit; *eamque cum*

briandi ſcilicet, ſive enthuſiaſmum quendam excitandi poteſtatem, quam, perinde ac laurus, habuiſſe reperta eſt.

Bacchi vero ſacra, tam apud Græcos, quam Romanos, noctu plerumque celebrari ſolebant; ut Bacchus ipſe apud Euripidem declarat.

> Νύκτωρ τὰ πολλά. σεμνότητ᾽ ἔχει σκότος.
> *Noctu plerumque: tenebræ reverentiam creant.*

Cui Pentheus reſpondet,

> Τοῦτ᾽ εἰς γυναῖκας δόλιόν ἐστι ϗ σαθρόν.
> *Hoc mulieribus inſidioſum eſt ac turpe*[y].

Quod quidem Romæ olim verum eſſe compertum eſt: nam cum Conſulibus indicatum eſſet, Orgia iſta nocturna nonniſi ſtupris flagitiiſque inquinari, ac *corruptelarum omnium*, ut Livius ait, *officinam eſſe*; non modo ex urbe, ſed ex Italia etiam omni exterminata fuerunt[z]. Quæ tamen, labante rurſus diſciplina, paucis poſt annis revocata, atque a mulieribus palam celebrata invenimus. At vero, ex ingenti Icuncularum harum numero, quæ, bacchantium habitu, uſque ad hæc tempora conſervata ſunt, eas ad viventium ſimilitudinem fictas eſſe, germanaſque matronarum quarundem, quæ Bacchi ſeſe ſacris addixerant, imagines fuiſſe, veriſimile videtur.

At illud denique haud ſilentio prætereundum; Bacchæ nimirum noſtræ imaginem *oculos argenteos* habere: quod tamen in aliis ſæpe Imagunculis inveniri; neque ex argento tantum, ſed

---

bibitur, mentis errorem inducere, declarat.

N. B. Hoc autem omne, quod de hederæ vi inebriante hoc loco dictum eſt, a familiari meo multis, mihi nominibus cariſſimo, Gulielmo Heberden M. D. Collegii Div. Johan. apud Cantabrigienſes ſocio, accepi. Qui ad Artis Medicæ ſcientiam, qua quidem egregie præſtat, litteras eas omnes reconditiores, atque ea humanitatis ſtudia adjunxit, quæ hominem ingenuum ornare, ſuiſque jucundum reddere queant.

[y] Euripid. Bacch. v. 486.

[z] Liv. l. 39. x.

e cryſtallo, gemmiſque item pretioſis, oculos effici ſolere, harum rerum periti confirmant[a]. Plinius, *Leonem marmoreum* in Inſula Cypro extitiſſe ait, *cui oculi ex ſmaragdis radiantibus inditi eſſent*[b]. Et Pauſanias Minervæ ſimulachrum commemorat, cujus oculi cærulei erant[c].

Hanc oculos conficiendi artem, opifices quidam proprii, atque a ſculptoribus diverſi, exercuiſſe videntur: de quorum grege M. Rapilium, in Inſcriptione quadam antiqua celebratum legimus,

M. RAPILIVS. SERAPIO. HIC
AB. ARA. MARMOR.
OCVLOS. REPOSVIT. STATVIS.
QVOAD. VIXIT. BENE[d].

Atque hinc ex Icunculis hiſce, nonnullæ oculis penitus deſtitutæ, foraminibus jam vacuis relictis, reperiuntur; quibus oculi ſcilicet vel ob vetuſtatem delapſi, vel ob pretium abrepti eſſent. At in noſtra imagine, nil niſi album oculi argenteum fuiſſe apparet, cujus in medio foramen adhuc concavum reſtat, in quod gemma olim aliqua pupillæ loco inſerta fuiſſet. Ex quo intelligere poſſumus, quantum artifices iſti veteres operum ſuorum laudem ex oculorum acie pendere exiſtimaverint, quantamque ideo in iis fingendis curam atque induſtriam poſuerint.

SECT. II.

FIgura ſecunda, Gladiatoris effigiem æneam nobis oſtendit, ſed ex quo Gladiatorum genere aut factione, haud facile dici poteſt. Nam etiamſi multæ hujuſmodi figuræ in libris deſcriptæ ac pervulgatæ ſint, attamen nudæ plerumque, neque armis ullis, quibus factiones iſtæ maxime diſtinguebantur, inſtructæ apparent. Nudos eos quidem depugnare ſolitos, ab antiquis traditum eſt. *Homo*, inquit Seneca, *ſacra res*, *jam per ludum jocumque occiditur: et quem erudiri ad inferenda accipiendaque vulnera nefas erat*, *is jam nudus inermiſque producitur*, *ſatiſque ſpectaculi in homine mors eſt*[e].

---

[a] Oſſervaz. Iſtorich. Sopr. Alcun. Medaglion. Da Fil. Buonarotti. Pr. xii.

[b] Lib. 37. 5.

[c] Lib. 1. 14.

[d] Spon. Miſcell. Sect. 6. p. 232. it. Inſcript. Antiqu. Etrur. Vol. 1. p. 406.

Gladiatoris autem noſtri caput vel galeæ ſpecie quadam, vel pileo potius, libertatis ſymbolo, tectum eſt. Etenim galea, quam Gladiatorum pleriſque communem eſſe ſcimus, non caput modo, ſed faciem quoque penitus obtegiſſe videtur.

> —— —— *Nec Myrmillonis in armis,*
> *Nec Clypeo Gracchum pugnantem aut falce ſupina,*
> *Nec galea faciem abſcondit*[f]——

Bonannius, qui duas quoque Gladiatorum figuras, ex ære fictas edidit, omnes ejuſdemmodi Icunculas, Marti ſeu Herculi, ob victoriam aliquam partam, libertatemve conceſſam, ex voto donatas eſſe arbitratur[g]. Atque in hunc igitur finem Icunculam item noſtram, effectam olim eſſe judicemus: neque enim ratio ulla probabilior inveniri facile poterit, quamobrem tantum earum numerum vel hodie extantem reperiamus. Ad quem quidem figuras iſtas conſecrandi morem Tertullianus quaſi alludere videtur, cum meliorem *Homicidam*, *laudem ſuam conſecratione penſare*, ſcribit[h].

---

[e] Sen. Epiſt. 95. vid. item Ep. 7.

[f] Juven. S. 8. 200. vid. item. Fabrett. Column. Trajan. c. 8. p. 258, 259. ubi Batonis, Gladiatoris galeam videre licet, et duos Genios pileum libertatis, victori cuidam Circenſi deferentes.

[g] Muſeum. Kircher. p. 70.

[h] De Reſurrection. Carn: p. 590.

SECT.

SECT. III.

ALiæ duæ Icunculæ reſtant, mihi tamen haud ita cognitæ, ut quidquam de eis certi ſtature audeam. At quoniam in argumento prorſus conjecturali verſamur, alteram, cujus capiti æneo antiqui operis, thorax e marmore recens accommodatur, Germanici fortaſſe effigiem; alteram autem æneam, ex oris habitu, comarumque ornatu, vel Ægyptii alicujus, vel Etruſci potius Herois ſimulachrum eſſe conjicerem.

TABULA XV.

INſtrumenta hujuſmodi ænea, qualia in hac et ſequenti Tabula delineata damus, anſis longiuſculis, et ſculptili opere ornata, quorumque exemplaria, in rerum antiquarum collectionibus, vel hodie etiam bene multa reperiuntur, ab eruditorum pleriſque Pateræ vocantur[i]. At vero Pateram, nihil aliud ac poculi genus quoddam fuiſſe, perſpicuum eſt; cujus quidem uſus tam in conviviis, quam in ſacrificiis, a ſcriptoribus fere omnibus celebratur. "In poculis, inquit Varro, "erant pateræ, eo quod pateant, latine ita dictæ. Hiſce "etiam nunc in publico convivio, antiquitatis retinendæ cauſa, "cum magiſtri fiunt, potio circumfertur; et in ſacrificando, "hoc poculo magiſtratus dat Deo vinum[k]." Macrobius item, "Pateram, uti nomen ipſum indicio eſt, poculum planum ac "patens eſſe, dicit[l]."

---

[i] Vid. Cauſei Muſe. Rom. Fabrett. Inſcript. p. 538, 542. Cabinet de S. Genev. p. 10, &c.

[k] De ling. lat. l. 4. Cicero a Thucydide traditum ſcribit, Themiſtoclem, cum taurum immolaviſſet, excepiſſe ſanguinem patera, et eo poto mortuum concidiſſe. [in Brut. 43. Ed. Lamb.] Iſidorus item, Pateræ inquit ſunt dictæ, vel quod in ipſis potare ſolemus, vel quod patentes ſunt, diſpanſis labris. Origin. l. 20. 5.

[l] Saturn. l. 5. 21.

Hic regina gravem gemmis auroque popoſcit
Implevitque mero pateram
Ille impiger hauſit
Spumantem pateram et pleno ſe proluit auro[m].

Ex his, aliiſque veterum teſtimoniis apparet, pateras, Vaſcula quædam concava et capacia fuiſſe, quibus vinum vel in conviviis largiter bibere, vel in ſacrificiis Diis libare, vel in cornua victimæ fundere, vel ſanguinem ejus excipere ſolerent; ad quæ quidem munera, has noſtras figuras, ob ſuperficiem planam atque æquabilem, inhabiles omnino atque inutiles eſſe, vel primo intuitu declarare licet. At vero germanam paterarum effigiem, in ſculpturis numiſmatibuſque antiquis, in quibus ſacrificium aliquod ſolenne deſcribitur, in ſacrificantis uſque manu cernimus; rotundam ſcilicet, et concavam, neque anſa ulla aut manubrio inſtructam[n].

Itaque Begerus Cauſeum, ceteroſque rerum antiquarum interpretes, jure reprehendit, qui figuras ejuſmodi planas atque anſatas, paterarum nomine appellant; quas ille quidem, Iſidori auctoritate, Apophoretas vocat; quibus poma ſeu bellaria quælibet in conviviis, cœnantibus dari ſolita, contendit[o]. At hæc eadem inſtrumenta, Vir doctus Bonannius patellas vocat[p]; quibus epulas nimirum Diis Laribus apponere conſueverunt.

Et libate dapes; ut grati pignus honoris
Nutriat incinctos miſſa patella Lares[q].

Hinc Varro a Nonio citatus, *Quocirca*, inquit, *oportet bonum civem legibus parere, et Deos colere, atque in patellam dare* μικρὸν κρέας,

---

[m] Virg. Æn. 1. 732.
Supponunt alii cultros tepidumque cruorem
Excipiunt pateris —— ibid.

[n] Vid. Columm. Trajan. Tab. 67, 74, 78. it. Du Choul. Relig. Vet. Rom. p. 96, 135, &c.

[o] Theſaur. Brandeb. Vol. 3. p. 424.

[p] Muſe. Kircher. p. 12. Tab. 5.

[q] Ovid. Faſtor. l. 2. 633.
Fert miſſos Veſtæ pura patella cibos.
ibid. l. 6. v. 310.

paullulum carnis[r]. De his autem patellis, quod Diis appoſitum eſſet, comedere, tanquam hominis ſumme impii indicium a Cicerone commemoratur; *atqui reperiemus*, inquit, *aſotos, primum ita non religioſos, ut edant de patella*[ſ].

Sed patellas item iſtas, perinde ac pateras, concavas fuiſſe, atque a noſtris propterea diverſas, certiſſimum eſt: quippe quæ oleribus obſoniiſque interdum coquendis, atque in menſam etiam ponendis inſerviiſſe dicuntur.

Nec modica cœnare times olus omne patella[t].

Montfauconius igitur, in rebus antiquis omnium ſane verſatiſſimus, de inſtrumentorum noſtrorum uſu ac nomine, nihil omnino ſtatui poſſe putat, donec e veterum monumentis, quiddam nondum viſum eruatur, quod lucem aliquam majorem ad hanc litem dirimendam præbeat[u].

At quocunque demum nomine hæc vaſcula appellanda ſint, hoc ſaltem ex eorum forma perſpicuum videtur, ea videlicet nonniſi ad aridum aliquid, vel in ſacrificando Diis, vel in cœnando convivis, offerendum, inventa atque adhibita eſſe.

Quod vero ad res potiſſimum divinas olim pertinuiſſent, ex figuris in eis inſculptis, conjicere licet; quæ Deorum fere fabellas, imagineſque eas exhibent, quibus vaſcula potiſſimum ſacra ornari ſolita accepimus. " Apud Siculos, inquit Cicero, ante " Verrem Prætorem, domus erat nulla paullo locupletior, qua " in domo hæc non eſſent, etiamſi præterea nihil eſſet argenti: " patella grandis cum ſigillis ac ſimulachris Deorum; patera,

---

[r] Non. Marcell. c. 15. 6. Hinc Dii Lares, Patellarii dicti. Plaut. Ciſt. 2. 1. 46.

[ſ] De Finib. 2. 22.

[t] Hor. Epiſt. l. 1. 5. v. 2.

Quamvis lata gerat patella Rhombum
Rhombus latior eſt tamen patella.
Mart. Epig. 13. 81.

Plinius item pulmentarium in patellis decoctum commemorat. [Hiſt. N. l. 13. 8. ad fin.] Atque apud Varronem legimus, multifariam in patellis coquere cæpe. in Fragm. p. 71.

[u] Antiqu. Vol. 2. l. 3. c. 5. §. 4.

“ qua mulieres ad res divinas uterentur; Thuribulum: hæc “ autem omnia antiquo opere et ſummo artificio facta[w].” Jam ex hoc loco, *Pateræ iſtæ, quibus mulieres uterentur*, a reliquis omnibus, ad communem uſum adhibitis, diſtingui videntur: neque alienum ſane exiſtimari poteſt, genus quoddam paterarum ornatius, leviuſque mulierum præcipue uſui dicatum fuiſſe; e quibus vini modo pauxillulum fundere, ad libationes rite faciendas ſufficeret: et ſi talis paterarum diſtinctio, a nemine, quod ſciam, memorata, revera tamen extitiſſe inveniretur, conjicerem ſane, inſtrumenta hæc noſtra de paterarum earum claſſe fuiſſe, quæ fœminarum propriæ haberentur. Nam etiamſi nulla eorum figura vel in marmoribus vel numiſmatibus unquam viſa ſit, in quibus ſacrificium aliquod a viris celebratum exprimitur; in Priapi tamen ſacrificio ſupra memorato, atque a mulieribus confecto, vaſculi ſpeciem quandam, his noſtris haud abſimilem, mulieris cujuſdam in manu cernimus, quæ de Sacerdotum numero eſſe apparet[x]. Atqui hoc tanquam incertum penitus, nec niſi conjectura quadam extemporali fultum, aliis diligentius inveſtigandum relinquo.

SECT. II.

IN hac patera, mulieris Cygno inſidentis effigies inſculpta eſt; quæ dextra collum avis amplectitur, ſiniſtra ſpeculum orbiculare tenet: quod ad Ledæ certe hiſtoriolam, a Poetis fere omnibus decantatam, referendum arbitror. De qua quidem fabella, Helena, Ledæ filia, ad Paridem ita ſcribens, ab Ovidio inducitur.

---

[w] In Verr. lib. 4. 21.

[x] Vid. Boiſſard. Vol. 1. par. 2. it. Montfauc. Vol. 1. par. 2. lib. 1. c. 28. Tab. 83. 9.

Dat mihi Leda Jovem Cygno decepta parentem,
Quæ falſam gremio credula fovit avem[y].

Ledam autem ipſam, in ſpeculo ſeſe contemplantem, ac forma oris eximia, qua Jovem ipſum ſubegerat, quaſi exultantem videmus[z].

Seu pendent nivea pulli cervice capilli,
Leda fuit nigra conſpicienda coma[z].

TABULA XVI.

FIguræ in hac patera inſculptæ, et vetuſtate, et vaſculi ipſius effractione quadam, ita mutilatæ ac pæne obliteratæ ſunt, ut haud jam dignoſci aut deſcribi facile queant. Tres tamen hominum vel Deorum potius imagines cernimus; quarum duæ, ora ſibi mutuo obverſæ, atque eodem plane geſtu, altero nimirum pede in terram, altero ſupra amphoram poſito, inter ſeſe quaſi colloquentes finguntur. Hiſce duabus imaginibus, tertia item media interjecta eſt, figura ſcilicet muliebris ſedens, cujus ima tantum pars jam reſtat, reliqua penitus deleta: hanc vero Minervam eſſe conjicio, ex clypei ſpecie quadam ei adjuncta, quæ os Gorgonis præ ſe ferre videtur. Atque in aliis etiam hujuſmodi pateris, Heroum interdum Deorumque figuras, hac eadem poſitura, inter ſeſe colloquentes animadverti[a].

Sculpturæ denique genus præſtantiamque quod attinet: illa quidem, in his noſtris, perinde ac in omnibus, quæ vidi, ejuſdemmodi inſtrumentis, nonniſi levi admodum opere, in ſumma æris ſuperficie exarata eſt; ubi omnis artificis cura in eo poſita apparet, ut lineæ modo extremæ rerum ipſarum formam aliquam rudem, ac ſimilitudinem præ ſe ferrent.

---

[y] Ovid. Epiſt. Helen. ad Parid. v. 55.

[z] Id. Amor. l. 2. El. 4. v. 41.

[a] Vid. Montfauc. Atiqu. Vol. 2. l. 3. c. 5. it. Cauſæi Muſ. Roman. p. 84. Tab. 20. &c.

TABULA XVII.

HAſtæ antiquæ ſpiculum ſive cuſpidem æneam in hac Tabula deſcriptam cernimus, una cum inſtrumentis duobus fabrilibus, ex ære pariter conflatis: quæ primo quidem aſpectu antiquiſſima certe, nec niſi eorum temporum fuiſſe diceremus, quibus ferrum vel nondum cognitum, vel, quod magis mirum eſt, nonniſi raro uſurpatum; quibuſque Romanorum etiam gladii, quales illi quidem ex urbis veteris ruinis jam ſæpe effoſſi dicuntur, ex ære quoque conflati erant.

Nam prior æris erat quam ferri cognitus uſus[b].

At vero Ennius, vel priſcis iſtis Reipublicæ ſeculis, enſes, haſtas, atque arma fere omnia, ferrea fuiſſe teſtatur.

Haſtati ſpargunt haſtas, ſit ferreus imber[c].
Tum Clypei reſonant et ferri ſtridet acumen[d].

Lucretius quoque eam ipſam ferri indurandi artem, qua vel hodie utimur, tanquam communem atque omnibus cognitam, commemorat.

Humor aquæ porro ferrum condurat ab igni[e].

Atque hac demum arte inventa, enſes ferreos in æneorum locum ſucceſſiſſe, atque inſtrumenta omnia, quibus ex ære antea uſi eſſent, abjecta, et cum ferreis commutata eſſe declarat.

---

[b] Lucret. 5. 1286.

[c] Vid. Enn. Fragmen. p. 81. Edit. Amſtel. 1707.

[d] Ib. p. 95. vid. it. p. 80, 50. 56, &c.

[e] l. 6. 968.

Inde minutatim proceſſit ferreus enſis,
Verſaque in opprobrium ſpecies eſt falcis ahenæ,
Et ferro cæpere ſolum proſcindere terræ[f].

Virgilius item, et enſes, et haſtas quoque ferreas plurimis locis memorat.—

Bina manu lato criſpans haſtilia ferro[g].
Haud ſecus inſtructi ferro, quam ſi aſpera Martis
Pugna vocet[h]——

Vitruvius denique, qui Auguſti ætate floruiſſe dicitur, *Machinam iſtam bellicam, quæ aries dicitur, roſtrum de ferro duro, perinde ac naves etiam longas, habuiſſe,* ſcribit[i]. Quod ab ipſis arietum, naviumque roſtris, adhuc extantibus, quorum nonnulla ipſe vidi, confirmatur.

Cum ferri igitur uſus temporibus iſtis cognitus ac familiaris fuiſſe appareat, illud profecto mirum videtur, quod ad armorum eorum fabricam, quorum vis virtuſque omnis ex metalli duritie, mucroniſque ſubtilitate pendent, æs tamen adhiberetur: nam ita ſeſe rem habuiſſe, hæc noſtra inſtrumenta, atque alia ejuſdem generis permulta, in libris paſſim deſcripta, demonſtrant; quæ quidem omnia poſt ferrum inventum ex ære fabricata eſſe, promiſcuumque diu cum ferro ipſo uſum obtinuiſſe, certiſſimum eſt. Virgilius enim, quem de ferro, tanquam pugnæ ac Marti proprio, loquentem modo induximus, haſtas tamen, enſeſque ac proras etiam navium, æratas vocat.

Æratæque micant peltæ, micat æreus enſis[k].
Quot prius æratæ ſteterant ad littora proræ[l].

---

[f] l. 5. 1292.

[g] Æn. 12. 165.

[h] Ib. 124.

[i] Lib. x. c. 21. vid. etiam Amm. Marcell. l. 23. c. 4.

[k] Æn. 7. 743.

[l] ib. 9. 122. it. 463.

Attamen hujuſmodi omnia, commentatorum pleroſque tanquam poetice dicta, interpretari ſcio, et æs, vocem metallis omnibus communem eſſe, nec niſi de ferro in iſtis locis intelligi debere, contendunt[m]. Sed *gladii ipſi ænei, haſtarumque et ſagittarum cuſpides ex ære quoque conflatæ*, quarum ingens plane numerus ex urbi antiquæ ruderibus ad hanc uſque ætatem conſervatus eſt, interpretationem iſtam prorſus refellunt[n], promiſcuumque æris ac ferri uſum per multa ſecula duraſſe confirmant. Quæ quidem utraque a Cicerone, tanquam belli inſtrumenta, et Marti propia, commemorantur[o].

Plutarchus, Ariſtotele auctore, tradit, *vulnera illa, quæ ſpiculis gladii æneis infliguntur, minorem efficere dolorem, faciliuſque ſanari poſſe quam quæ ferreis; propterea quod æs virtutem quandam medicinalem in ſe habeat, quam in vulnere ipſo ſtatim deponit*[p]. Si ob hanc igitur rationem, vanam licet ac futilem, veteres iſtos, humanitatis ſenſu commotos, arma ænea uſurpaſſe arbitraremur; cur fabrorum tamen ſculptorumque inſtrumenta ex ære etiam fecerint, mihi ſane permirum, nec ullo modo explicabile videtur.

De Haſtæ noſtræ ætate, aut ubinam demum terrarum reperta fuerit, nihil equidem habeo, quod liquet. Sin conjecturis indulgere liceat, cum præacutam eam, uſuque ſimul rubigine attritam videmus, haud ſcio, an in camporum eorum aliquo, ubi de Romæ ipſius fato decertatum eſſet, Pharſalico nimirum, Mutinenſi, aut Philippico, inventam eſſe dicamus; ſecundum celebre iſtud Virgilii vaticinium;

---

[m] Vid. Notas Lud. de la Cerda in Virg. Æn. x. 482. it. Fabrett. Col. Traj. 109.

[n] Vid. Montfauc. Antiqu. Vol. 4. l. 2. c. 7.

[o] Jam æs atque ferrum, duelli inſtrumenta non fani. Leg. 2. 18.

[p] Plut. Sympoſ. 3. c. ult. De hac vulnerum medicina ab æris rubigine petenda, celebris quædam fabella, a Poetis fere omnibus decantata, apud antiquos ferebatur. Telephus enim, Myſiæ rex, cum ab Achille graviter vulneratus eſſet, nec remedium ullum invenire poſſet, ab Oraculo hoc reſponſum accepit, *ut ab eo, a quo vulnus acceperat, ſanaretur.* Ab Achille igitur opem petiit, qui haſtæ ejus rubiginem, qua eum feriiſſet, ad vulnus adhibens, illud ſtatim ſanavit.

Ego Telephon haſta
Pugnantem domui, victum orantemque refeci.
Ov. Met. 13. 171.

Myſus et Hæmonia juvenis qua cuſpide vulnus
Senſerat, hac ipſa cuſpide ſenſit opem.
Propert. 2. 1.

Et ſic, inquit Plinius, *Telephum proditur ſanaſſe Achilles, ſive id ærea ſive ferrea cuſpide fecit. Ita certe depingitur eam decutiens gladio.* Hiſt. N. 34. 15.

Scilicet et tempus veniet, quo finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exeſa inveniet ſcabra rubigine pila[q].

SECT. II.

FIguræ ſecundæ, aliam item conſimilem, ac plane parem, a Comite Maſcardo Veronenſi, deſcriptam obſervavi; quam auctor iſte nobilis, jaculi ſeu ſaggittæ, qualis e catapulta olim emitti ſoleret, cuſpidem fuiſſe dicit[r]. Montfauconius autem, qui tres quatuorve ejuſdem generis ac formæ e diverſis muſeis protulit, eas nonniſi ſculptorum inſtrumenta eſſe declarat, quibus ſcilicet, ad lapides in formas quaſlibet fingendos, utebantur[ſ].

SECT. III.

FIgura tertia ſculptoris certe inſtrumentum fuit; ac celebrioris fortaſſe cujuſdam, quatenus ex inſtrumenti ipſius ornatu, ac ſculptili opere, conjectare liceat. Mucronem ejus, rubigine paullulum deterſa, auri penitus nitorem exæquare reperii: Plinius nempe, " æs auro quondam argentoque con" fuſum eſſe dicit, ac tria ejus genera recenſet: Candidum,

---

[q] Georg. 1. 493.

[r] Vid. Muſeo Di Ludov. Moſcardo. p. 305.

[ſ] Montfauc. Antiqu. Vol. 3. l. 5. c. 1. Tab. 60.

“ argento nitore quam proxime accedens, in quo illa mixtura prævaluit: alterum, in quo auri fulva natura: tertium, in quo æqualis omnium temperies fuit[t].” Strabo etiam lapidem commemorat, “ qui combuſtus in ferrum tranſit: et in camino deinde cum terra quadam excoctus pſeudargyrum ſtillat; cui ubi æs additum eſt, temperamentum fit, quod nonnulli orichalchum vocant[u]:” quod orichalchum vero iſtud auri plane pulchritudinem exæquaverit, neque alterum fere ab altero dignoſci potuerit, ex Cicerone intelligimus, qui de hac ipſa re quæſtionem inſtituit, *ſiquis aurum vendens orichalchum ſe putet vendere, indicetne ei vir bonus, aurum illud eſſe? an emat denario quod ſit mille denarium*[w]. Quamobrem ex orichalcho fortaſſe, ſeu temperatura iſtiuſmodi aliqua, inſtrumentum noſtrum conflatum eſſe puto.

TABULA XVIII.

JAM vero nummorum, quos omnium primos a Romanis ex ære ſignatos accepimus, ſeriem quandam hic deſcriptam damus. Quorum quidem pleroſque Romæ dudum ipſe collegeram, nonnullos autem, ibi quoque repertos, a viro mihi amiciſſimo, et cum ingenii acumine, tum literis omnibus politioribus ornatiſſimo, Daniele Wray, S. R. S. dono accepi.

---

[t] Hiſt. N. 34. 2.

[u] L. 13. p. 908. Edit. Amſtel. 1707.

[w] Cicer. Offic. l. 3. 23. Iſidorus de Aurichalcho loquens, *ſit autem*, inquit, *ex ære et igne multo, ac medicamentis perducitur ad aureum colorem: nomenque ex lingua Latina et Græca compoſitum dicit.* [l. 16. c. 19.] ſed errare prorſus videtur, nam Orichalchum ab antiquis ſcriptum, atque a Græco penitus fonte derivatum eſſe, conſtat. [vid. Feſtum in voce et Fabri notas. it. Plinii Hiſt. Nat. 34. 2.] Atqui ex his veterum teſtimoniis colligere licet, iſtud æris temperamentum, quod jam auri plane nitorem exæquat, quodque Pinchbackii, Opificis Londinenſis, nomine celebratum eſt, non horum temporum inventum eſſe, ſed antiquis in uſu communi fuiſſe.

Æris ſignandi originem, a ſcriptoribus fere omnibus ad fabulas, Janumque referri invenio. Athenæus a Dracone Corcyræo memoriæ proditum ſcribit, "Janum e Græcia in Italiam migraſſe, montemque ibi juxta Tyberim occupaſſe, Janiculum poſtea ab eo dictum: ac inter alia, in vitæ humanæ commodum, ab eo excogitata, coronas et rates, et navigia inveniſſe; omniumque primum, nummos præſertim æneos ſignaſſe; in cujus beneficii memoriam, multas deinde Græciæ, Italiæ, ac Siciliæ urbes, in nummis ſuis, ex altera parte Janum bicipitem, ex altera, ratem vel navem, vel coronam inſculpſiſſe[x]." Alii vero rem paullo aliter tradunt; "Saturnum ſcilicet, a Jove filio expulſum, ad Janum confugiſſe; qui eum benigne admodum excepit, atque in regni ſocietatem admiſit; et quo adventus ejus memoriam in poſteros propagaret, æra, ex altera parte, capitis ſui, ex altera navis effigie ſignavit[y]."

Atqui hæc profecto de Jano Rege, apud priſcos eos fama conſtans ferebatur; eum videlicet in Etruria diu ac feliciter regnaſſe, atque ob multa deinde beneficia, in hominum genus collata, omnium mortalium primum, in Deorum numerum relatum eſſe.

---

[x] Deipnoſ. l. 15. c. 13. p. 692. Quod vero ab Athæneo hoc loco de nummis iſtis traditur, a Siciliæ ac Magnæ Græciæ nummis antiquis, adhuc extantibus, plane confirmatur; in quibus, ex altera parte, Jani bicipitis, ex altera, coronæ vel navis ſæpe effigiem videmus. Vid. Sicil. de Phil. Parut. p. 142, 143.

[y] Macrob. Sat. 1. 7. p. 217. Lactant. Div. Inſtit. c. 13. Plut. Quæſt. Rom. 274.

Atque hanc quidem famam ad Ovidii certe ætatem manſiſſe, conſtat; qui Janum de hac ipſa re ſecum colloquentem, et quærenti ſibi, cur in nummis hiſce, Imago biceps, naviſque inſculptæ fuerint, rem ita exponentem inducit.

Multa quidem didici. Sed cur navalis in ære.
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?
Noſcere me duplici poſſes in imagine, dixit,
Ni vetus ipſa dies extenuaret opus.
Cauſa ratis supereſt. Thuſcum rate venit in amnem,
Ante pererrato Falcifer orbe Deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum,
Cælitibus regnis ab Jove pulſus erat.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen,
Dicta quoque eſt Latium terra, latente Deo.
At bona poſteritas puppim ſervavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Publica quem primum vota preceſque vocant[z].

Forma autem ejus biceps nihil aliud denotare videtur, ac circumſpectionem iſtam et ſollertiam, quæ ex præteritorum memoria, futurorumque prudentia oritur; quamque Homerus, ſeni cuivis cauto ac provido attribuit, *ὃς ἅμα πρόσσω ϗ ὀπίσσω λεύσσει.* Qui a fronte pariter atque a tergo proſpicit[a].

At vero Romæ quiſnam æra primus ſignaverit, haud ſatis compertum habemus. Suidas, Tranquilli auctoritate, ad Numam rem defert; atque æs ita ſignatum, de nomine ejus, nummum vocari ait, quum ante id tempus, coriorum tantum ſegmenta, aut teſtas, nummorum loco adhibuiſſent[b]. Plinius autem, quem jam omnes fere ſequuntur, *Servium Tullium æs primum ſignaſſe ſcribit*, quo rudi antea uſi eſſent, ſignatum vero *nota pecudum eſſe*, unde pecunia appellata[c]. Attamen hac pecudum nota, quam boum oviumve effigiem eſſe dicit[d], nonniſi majorum ponderum nummos ſignatos fuiſſe cenſeo; eos nimirum, quos cum mercibus iſtis commutare poſſent, quibuſcum boves antea, oveſve commutare ſolebant. Æris enim lamina duarum librarum, as dupondius vel dupondium vocabatur; trium librarum, Treſſis; quatuor, Quadruſſis; et ſic uſque ad Centuſſim, ſeu centum aſſium pondus, quem nummorum æneorum maximum fuiſſe, ex Varrone diſcimus[e]. De hac autem nummorum claſſe, duos omnino Quadruſſes, bovis effigie ſignatos, vel in curioſorum Muſeis aſſervatos, vel in libris deſcriptos vidi[f]. In aſſe vero librali, ejuſve partibus, quorum plurima adhuc exemplaria reſtant, nullam unquam bovis oviſve effigiem, unica tantum excepta, inſculptam animadverti[g].

---

[z] Mart. Epig. l. x. 28. Principem in ſacrificando Janum eſſe voluerunt. Cic. Nat. Deor. 2. 27.

[a] Iliad. 3. 109. Quali etiam prudentia Plinius, Mauricum fuiſſe dicit, multis experimentis eruditum, et qui futura poſſet, ex præteritis providere. Epiſt. l. 1. 5.

[b] Suid. in voce Aſſarion.

[c] Hiſt. Nat. 33. 3.

[d] Ibid. 18. 3.

[e] Quo majus æris vocabulum non eſt. De ling. lat. l. 4.

[f] Vid. Montfauc. Antiqu. Vol. 3. par. 1. c. 9. Tab. 27.

SECT. I.

PRimus iſte nummus, germana Aſſis libralis imago eſt: ejus prorſus generis, quod Romæ olim, vel a Numa, vel Servio Rege, omnium primum ſignatum eſſe liquet. Ex quo idem illud, quod ab aliis Italiæ ac Siciliæ civitatibus factum eſſe, ſupra memoravimus, Reges quoque Romanos feciſſe, Janique memoriam in nummis ſuis celebraſſe, videmus. Cujus forma biceps ex altera Aſſis noſtri parte, ex altera, Mercurii caput ſignatum eſt: quem quidem Deum, tanquam lucri auctorem, commerciique præſidem, priſcos iſtos invocaſſe cognovimus.

Te quicunque ſuas profitetur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut ſibi lucra, rogat[h]

Iſtud vero, ſive falx, ſeu quodvis aliud inſtrumentum fuerit, quod juxta Mercurii caput exſculptum prominet, nihil aliud eſſe a viris doctis putatur, ac nota quædam, qua æris ſignandi artifices, officinam quiſque ſuam, nam quatuor Romæ inſtitutæ dicuntur, pro arbitrio diſtinguere conſueverunt.

Aſſem antiquorum libralem, uncias æris duodecim, et pondere et pretio exæquaſſe, notiſſimum eſt: cujus partes primariæ, in communi maxime uſu tritæ, ſæpiuſque idcirco a ſcriptoribus memoratæ, hæ ſunt; Semiſſis, ſive pars dimidia, ſex unciarum; Triens, ſeu pars tertia, quatuor unciarum; Quadrans, ſeu pars quarta, trium unciarum; Sextans, ſeu pars ſexta duarum unciarum; Uncia denique ſive Stips uncialis, pars duodecima. Quorum quidem nummorum omnium, ſextante tantum excepto, exemplaria jam perpulchra quædam lectori contemplanda damus.

---

[g] Vid. Cabin. S. Genev. Pariſ. a Molineto edit.

[h] Ovid. Faſt. 5. 671.

——grates habeo—
Simul Mercurio, qui me in mercimoniis
Juvit, lucriſque quadruplicavit rem meam.
Plut. Stich. 3. 1.

Inſcriptio item antiqua extat apud Gruterum. p. 55. 1.

MERCVRIO. NEGOTIATORI
SACRVM.
NVMISIVS ALBINVS
EX VOTO.

SECT. II.

SEcundus nummus, ſemiſſis eſt, ut littera, S, nota ejuſdem propria, utrinque inſculpta indicat. Ex altera parte, capite ſenili, laureato, vel Jovis Capitolini, vel Servii fortaſſe Regis, æris ſignandi auctoris; ex altera, navis effigie ſignatur.

SECT. III.

TErtius item, Semiſſis eſt, ſed rubigine haud parum attritus, et cui littera, S, vetuſtate jam fere evanuit. Hic autem Pegaſi effigie utrinque ſignatus eſt: cujus quidem ratio haud explicatu facilis videtur, ni cum Begero, Pegaſum, tanquam Corinthi ſymbolum, ad Tarquinii Priſci, Corintho oriundi, originem celebrandam, a Servio ejus ſucceſſore et privigno adhibitum cenſeamus[i]. Quippe Pegaſum in Syracuſarum item nummis; quæ Corinthi colonia fuit, perſæpe ſignatum cernimus; perinde ac in Familiarum etiam Romanarum nonnullis, in quibus litteræ, COR, interdum inſcriptæ, eos ad Corinthum reſpectum aliquem habere, et vel ab Achaiæ Prætore, vel alio quovis magiſtratu, Corinthi cum imperio degente, percuſſos eſſe, indicant[k].

---

[i] Vid. Theſaur. Brandeb. Vol. 3. p. 80.

[k] Vid. Sicil. di Phil. Paruta, deſcritt. con. Medagl. p. 48. &c. it. Morell. Theſaur. in Famil. Bellia et Cæcilia. Tab. 2. Numm. A. iv. B. c.

SECT. IV.

QUartus, Triens eſt; tertia pars Aſſis, quatuor uncias compleƈtens, totidemque punƈtis notatus. Nam ſingulæ Aſſis partes iſtiuſmodi punƈtis, unciarum numerum denotantibus, inter ſeſe diſtingui ſolebant. Hic autem Triens, ex utraque parte, capitis equini effigie ſignatur; quod quidem ſignum, in aliis quoque Romanorum nummis nonnunquam animadverti: a priſcis iſtis idcirco fortaſſe adhibitum, ut bellicam eam virtutem, animumque ferocem indicarent, quibus populus Romanus omnes gentes ſuperaturus eſſet: ob quam etiam cauſam, urbis ipſius fundator, Romulus, equos ad bellum aluiſſe, ludoſque equeſtres inſtituiſſe traditur[l].

Hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit[m].

Atque hinc equum, tanquam Marti dicatum, ac bello utilem, et bellatoris etiam nomine a Poëtis latinis celebratum legimus.

Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur[n].

SECT. V.

QUintus, Quadrantem, ſeu quartam aſſis partem exhibet, trium unciarum nummum, tribuſque ideo punƈtis notatum: is autem manu aperta, fidei videlicet, in mercibus nummiſque permutandis, ſymbolo, ex utraque parte ſignatus eſt.

---

[l] Equiria, ludi, quos Romulus Marti inſtituit, per equorum curſum. Feſt. it. Ovid. Faſt. 2. 859.
Poſt bellator equus, poſitis inſignibus, Æthon.
——ib. xi. 89.
Vid. it. Georgic. 3. 84. Lucret. 2. 660. Stat. Thebaid. 2. 66.

[m] Hor. Od. l. 3. 3.

[n] Virg. Æn. 3. 540.

SECT. VI.

SExtus, ſtips uncialis, ſive uncia eſt, aſſis libralis pars duodecima; unico puncto notatus: atque ex altera parte, vaſculi cujuſdam ſacrificalis, ex altera, litui auguralis effigie ſignatus.

SECT. VII.

SEptimus item, ſtips uncialis eſſe videtur, ex utraque parte ſecuris, opinor, ac clavæ ſpecie quadam inſignitus.

Quod hi autem nummi, aſſem, ut ſupra dixi libralem, parteſque ejus revera exhibeant, ex ponderibus eorum inter ſe collatis, perſpicuum eſt. As enim antiquus duodecim uncias continebat, quæ quidem unciæ ejuſdem plane momenti erant, ac iſtæ, quas Gallico nomine, Averdupois vocamus, atque ad merces varias ponderandas hodie adhibemus. Uncia enim vetus Romana ex granis quadringentis et triginta octo conſtabat, hanc ſcilicet noſtram, grani tantum unius dimidio, exſuperans[*]. Hæc vero æra, quum figuris, e ſuperficie eminentibus, ac majori idcirco attritui obnoxiis, ſignata ſint, haud parvam ſane, poſt tot elapſa ſecula, ponderis antiqui diminutionem ſubiiſſe reperiuntur; nec majorem tamen, quam quæ ex annorum bis mille vetuſtate et rubigine expectari facile poterat: nam quædam eorum, partem ſolummodo octavam, alia ſextam, alia autem quartam, pro variis, quos ſubierant, caſibus, amiſſiſſe videbimus.

	Unc.	Gran.
As noſter jam continet - - -	10	10
Semiſſis - - - - -	4	366
Semiſſis alter - - -	4	239

---

[*] Vid. Hooper on Ancient Meaſ. p. 10, 14. it. Arbuthn. Tab. 7. Note 1.

Triens. o o o o	- - -	3	283
Quadrans. o o o	- -	2	179
Stips Uncialis. o	- -	o	347
Stips altera	- - - - -	o	327

Hæc profecto Æra, monumentorum omnium, quæ a priſcis Romanis ad nos pervenerunt, vetuſtiſſima eſſe cenſeo: cujus rei indicium hoc mihi certiſſimum videtur, quod non typo aliquo impreſſa aut percuſſa, ſed ex ære fuſo conflata ſint; atque eis certe ſeculis, quibus æris feriendi ars nondum inventa erat[p]. At vero ante bellum Punicum primum, ſignata ea omnia fuiſſe neceſſe eſt: quippe eo bello, ut Plinius ait, “ cum impenſis “ Reſpublica non ſufficeret, pondus æris imminutum, conſti- “ tutumque, ut aſſes Sextantario pondere ferirentur; ita quin- “ que partes factæ lucri, diſſolutumque æs alienum. Nota “ æris fuit, ex altera parte Janus Geminus, ex altera roſtrum “ navis; in Triente vero et Quadrante rates—poſtea Anni- “ bale urgente, Q. Fabio maximo Dictatore, aſſes unciales “ facti——ita reſpublica dimidium lucrata eſt——mox lege “ Papiriana, ſemiunciales aſſes facti[q].” Ex quo Plinii teſtimonio, tres aſſis Romani diminutiones, diverſis temporibus publice conſtitutas, intelligimus; quibus as ſcilicet a pondere librali, primum ad ſextam, deinde ad duodecimam, tum ad viceſimam quartam ejus partem redactus eſt. Hoc autem interea lectori memoria tenendum, aſſem iſtum, utcunque pondere imminutum, in duodecim tamen partes æquales, atque idem uſque pretium obtinentes, quæ unciæ vocabantur, diviſum ſemper fuiſſe.

---

[p] Omnes item Tuſcorum veterum nummi ænei, quos hodie extare cognovimus, quoſque cum in Dempſteri Etruria Regali. [Vol. 1. p. 350. et Append. 38.] tum in Gorii Muſeo Etruſco [p. 425. Tab. 196.] delineatos videmus, ex ære fuſo conflati ſunt: atque hoc ipſum Gorius inter Etruſcorum Romanorumque nummos diſcrimen ſtatuit, quod Etruſcorum ſemper fuſi, Romanorum impreſſi fuerint. [ibid. Vol. 2. p. 421.] at vero nullum iſtiuſmodi diſcrimen, aut ſcriptorum aut monumentorum veterum auctoritate confirmatum reperio: Romanoſque præſertim, in nummis ſignandis, hanc æris fundendi rationem per multa ſecula ſecutos eſſe, nec ante bellum fortaſſe Punicum, feriendi artem inveniſſe, ex aſſe noſtro librali, aliiſque permultis adhuc extantibus, probabile eſt.

Sed alias quaſdam diſcriminis notas inter nummos iſtos a Phil. Buonarotti conſtitutas animadverti; qui caput iſtud bifrons, quo ſignatos eos ſæpe videmus, in *nummis* Etruſcis, *juvenile et imberbe ac pileo tectum*, in Romanis contra, *barbatum ac nudum* ſemper inveniri, dicit. [Vid. Addend. ad Dempſt. Etrur. Reg. p. 38.] At hæc quoque diſtinctio nequaquam vera eſſe videtur; nam hac ratione, aſſem noſtrum libralem et Etruſcum et Romanum ſimul dicamus neceſſe erit; Etruſcum, quia capite bifronte, imberbi ac juvenili; Romanum, quia nudo nec pileato ſignatus eſt.

[q] Plin. Hiſt. Nat. l. 33. 3.

TABULA XIX.

UT Aſſis modo libralis, partiumque ejus figuras, in Tabula ſuperiore exhibui, ita Aſſis jam imminuti, membrorumque ejus, germana quædam monumenta, in hac Tabula deſcribere progredior; quæ quidem omnia, ob æris feriendi artem, hoc temporis intervallo, ut videtur, inventam, non fuſa amplius aut conflata, ſed impreſſa aut percuſſa eſſe apparent.

SECT. I.

PRimus igitur nummus aſſem, ad ſextantis ſive duarum unciarum pondus, imminutum indicat; quem eodem plane modo ſignatum cernimus, quo Plinius aſſes ejus generis ſignatos eſſe memorat, ex altera parte, Jano Gemino, ex altera, roſtro navis. Infra navem vox, ROMA, at litteris jam fere evaneſcentibus, legitur: ſupra vero, Deæ Victoriæ effigies, lauream coronam manu geſtans, ad navem quaſi coronandam, advolare videtur; ob victoriam fortaſſe celebrem iſtam Duilianam, quæ primo Punico bello, quo hic ipſe nummus ſignatus fuit, contra Pænos parta eſt. Notam vero iſtam, ſeu litteram, I, quæ ſupra capita, navimque utrinque exſculpta

ſculpta eſt, tanquam ſignum aſſis proprium, ab eruditis intelligi reperio.

SECT. II.

SEcundus, aſſis ſextantarii pars dimidia, ſive ſemiſſis eſt, littera, S, utrinque notatus; atque ex altera parte, capite, corona laurea redimito, ex altera, roſtro navis, ſignatus. Infra navem vox, ROMA, at vetuſtate jam fere obliterata, inſcripta eſt.

SECT. III.

TErtius, aſſis ejuſdem pars tertia, ſive triens eſt, quatuor punctis notatus; cujus ex altera parte, Romæ caput galeatum, atque eleganter exſculptum; ex altera, rotæ ſpecies quædam cernitur; intra ſingulos cujus radios ſingulæ litteræ inſcriptæ apparent, artificis fortaſſe nomen, quaſi operis præſtantia ſuperbi, olim indicantes; ſed nimium jam attritæ, quam ut dignoſci facile queant. Atqui eandem etiam rotæ figuram, in Tuſcorum antiquorum nummis, unde Romani, hanc ipſam æris ſignandi artem accepiſſe dicuntur, interdum animadverti[r]; et quum ſigna iſtiuſmodi omnia ſymbolicum quiddam continere, a pleriſque exiſtimari video, haud ſcio, an hac rotæ imagine, volubilem nummorum conditionem, citumque de manu in manum tranſitum ſignificari, cenſendum ſit.

SECT. IV.

QUartus, aſſis ejuſdem pars quarta, ſive quadrans eſt, tribus puncts notatus: cujus ex altera parte, Herculis juvenis caput, pelle leonina tectum; ex altera roſtrum navis exſculptum eſt; ac ſupra navem vox ROMA. Herculis autem caput clavamque in nummis hiſce haud raro ſignari cernimus: quem quidem Deum, tanquam *Furum latronumque* propulſatorem, a pecunioſis præcipue invocari, ac *domum conſervatorem, magnumque Cuſtodem* appellari[s]; eidemque divites idcirco bonorum ſuorum decumas vovere ſolitos, legimus[t].

---

[r] Vid. Dempſt. Etrur. Regal. Vol. 1. p. 350.

Hæc væniſſe jam opus eſt, quantum poteſt,
Uti decumam partem Herculi polluceam[u].

Jam nummorum item horum pondera, cum aſſis Sextantarii, partiumque ejus deſcriptione ſatis apte congruuut, niſi quod Quadrans pondus ejus legitimum aliquantulum exſuperet: atque hoc idem Montfauconius, ſe in hoc nummorum genere perſæpe inveniſſe declarat[w]. Quippe in nummis iſtiuſmodi feriendis, ſi æris percuſſi aliquid, quod accidere nonnunquam neceſſe erat, ultra modum punduſque nummi proprium forte adhæſiſſet, illud tamen opifices, in re tantilli pretii, negligendum omnino arbitrarentur.

	Unc.	Gran.
As noſter Sextantarius jam continet	1	348
Semiſſis	0	342
Triens	0	264
Quadrans	0	248

Sed aſſem deinde ad unciale item pondus imminutum eſſe, a Plinio ſupra traditum legimus: cujus quoque imminutionis exemplaria pariter quædam hic delineata proferuntur.

---

[s] Vid. Gruter. Inſcript. p. 45. x. it. p. 134. &c.

[t] Διά τι τῷ Ἡρακλεῖ πολλοὶ τῶν πλȣσίων ἐδεκάτευον τὰς ȣσίας. Plut. Quæſt. Rom.

[u] Plaut. Stich. Ac. 1. Sc. 3. 80.

[w] Supplem. Vol. 3. l. 4. c. 7.

SECT.

SECT. V.

QUintus enim nummus, aſſem, ni fallor, uncialem præ ſe fert. Quippe nota iſta, I, quæ aſſis propria habetur, utrinque notatus, atque ex altera parte, Jani bicipitis, ex altera, navis effigie, una cum voce, ROMA, ſubſcripta, ſignatus eſt.

SECT. VI.

SExtus, aſſis ejuſdem pars dimidia, ſive Semiſſis eſt, littera, S, utrinque notatus; atque ex altera parte, capite ſenili laureato, ex altera roſtro navis inſignitus: ſupra navem vero littera, T, et vaſculi quoque cujuſdam ſpecies, artificis ſcilicet nota, vel tabernæ ejus ſignum, exſculpta cernitur[x].

SECT. VII.

SEptimus, aſſis hujus pars tertia, ſive Triens eſt, quatuor punctis utrinque notatus, atque ex altera parte, Romæ galeatæ capite, ex altera, roſtro navis ſignatus; cui vox, ROMA, etiam ſupra navem inſcripta eſt.

SECT. VIII.

OCtavus aſſis ejuſdem pars ſexta, ſive ſextans eſt: ex altera parte, Mercurii capite, ex altera, roſtro navis ſignatus[y].

---

[x] Romæ enim olim, perinde ac in urbibus hodie noſtris, Opifices, ac mercium quarumlibet venditores, tabernas ſuas, pro cujuſque arbitrio, tabulis pictis ſeu imaginibus, quas ſigna vocamus, diſtinguere conſueverunt. Hinc Galli cujuſdam effigiem deformem atque immanem, in C. Marii Scuto Cimbrico pictam, et Tabernæ cuidam in Foro Romano appoſitam legimus: de quo celebris Craſſi Oratoris jocus memoriæ proditur. [Cic. de Orat. l. 2.] *Tabernæ erant circa Forum ac Scutum illud, ſigni gratia poſitum.* Quintil. l. 6. c. 3.

[y] Hunc Sextantem, nummulum eundem eſſe

Atque horum item nummorum momenta inter ſeſe ſatis apte conveniunt, niſi quod As modum ei præſcriptum nonnihil excedere reperitur.

	Unc.	Gran.
As enim his uncialis continet	1	83
Semiſſis S - - - - -	0	220
Triens o o o o - - -	0	165
Sextans - - - - - -	0	87

Tertiam iſtam aſſis imminutionem quod attinet, qua ad pondus demum ſemiunciale, Papiriana lege, redactus fuit, ea quidem a C. Papirio Carbone Tribuno plebis, A. U. 563, facta putatur. Hujus autem aſſis, haud ullas omnino partes, præter Semiſſem ac Trientem percuſſas eſſe arbitror.

SECT. IX.

DE nummis autem noſtris, nonus iſte, qui nullis punctis notatus, Janique bicipitis, et navis effigie ſignatus eſt, As Semiuncialis eſſe videtur: quippe ſemunciæ fere pondus adhuc habere reperitur; grana videlicet 194.

Sed litteris eum etiam quibuſdam inſculptum cernimus, Q. TITI. quæ magiſtratus, opinor, cujus juſſu percuſſus erat, nomen indicant. Nam eædem plane litteræ, in Familiæ Titiæ nummo quodam conſimili, inſculptæ apparent; quibus apis item effigies, de noſtro ære jam detrita, adjuncta eſt; qua quidem Havercampius, nummorum iſtorum interpres doctiſſimus, ſignificari putat, Q. iſtum Titium, quem tribunum plebis

---

eſſe puto, quem Varro Sextulam vocat, *ærisque ſignati partem minimam* declarat. [De Ling. Lat. l. 4. verſ. fin.] Haud mirum igitur, quod Montfauconius aſſis hujus *ſtipitem uncialem*, ſive partem duodecimam in Muſeo ſuo deſiderari ait: quia nullam omnino partem, Sextante minorem, ſignatam unquam fuiſſe, ex hoc Varronis loco intelligimus.

Vid. Montfauc. Supplem. Vol. 3. l. 4. c. 7. §. 3.

fuiſſe ait, eloquentiæ laude floruiſſe, atque ex diſertorum eorum numero fuiſſe, quorum ſermo melle dulcius fluere dicitur[z].

At vero alias præterea aſſis antiqui imminutiones factas olim fuiſſe, a nemine licet ſcriptorum veterum memoratas, Montfauconius declarat; idque ex monumentis ipſis, Aſſiumque partibus adhuc extantibus, quæ cum trium earum imminutionum nulla omnino conciliari poſſunt, demonſtrari contendit[a]. Atque hoc profecto veriſimile admodum cenſendum eſt; iſtiuſmodi videlicet imminutiones non ita præcipites fuiſſe, ſed gradibus potius lentioribus proceſſiſſe, quam ut prima penitus vice, duodecim unciæ ad duas redigerentur: idque ſane a noſtris item nummis duobus confirmari videtur.

SECT. X.

NUmmus enim decimus, quatuor punctis notatus, Triens ſine dubio eſſe apparet; ex altera parte Romæ galeatæ, ex altera, Herculis, Centaurum clava ferientis, imagine ſignatus: eum autem aſſis olim ſemilibralis, ſeu ſex unciarum, Trientem fuiſſe, neceſſe eſt, propterea quod unciam adhuc unam, et grana item 365 pondere exæquet.

SECT. XI.

NUmmus denique undecimus, unico puncto notatus, atque ex altera parte Romæ galeatæ capite, ex altera, roſtro navis ſignatus, aſſis certe ejuſdem pars duodecima, ſive Stips uncialis eſt, quippe quæ Semunciæ fere, ſeu granorum 215 jam pondus habet.

---

[z] Vid. Theſaur. Morell. in Fam. Titia. Numm. iv.

[a] Montfauc. Suppl. Vol. 3. l. 4. c. 6. §. 2.

Præter has autem Aſſis antiqui partes, quas in Tabulis his expreſſas videmus; aliæ præterea quinque, atque omnes quidem ſemiſſe majores, a ſcriptoribus ſæpe memorantur; Deunx, Decunx, Dodrans, Bes, Septunx: quæ tamen omnes, non nummi totidem ſignati, ſed fictitii tantum erant, ſeu ſummæ potius nummorum diverſæ, quæ in pecunia numeranda, ex unciis aliquot vel de Aſſe demptis vel ſemiſſi additis conficiebantur. "Septunx, inquit Varro, a ſeptem et uncia concluſum: reliqua a diminutione; ut a duodecim, una dempta uncia, "Deunx; dempto Sextante, Decunx: dempto Triente, Dodrans; dempto Triente, Bes, ut olim Des[b]."

Infra ſemiſſem quoque nummus adhuc unus reſtat, Quincunx ſcilicet, cujus nulla in his Tabulis figura datur. An is autem inter nummos ſignatos revera cenſendus ſit, mihi ſane haud perſpicuum eſt. Montfauconius, ſe unicum modo ejus exemplar vidiſſe declarat, quinque punctis notatum[c]. At vero, quanquam de viri ſanctiſſimi pariter ac doctiſſimi fide, nullo modo derogare velim, tamen cum puncta iſta ita confuſe interdum atque obſcure expreſſa animadverti, ut haud facile dignoſci poſſent; cumque nemo eorum quiſpiam, qui nummos ejuſmodi ediderunt, Quincuncis omnino figuram exhibuerit[d], horum certe alterum verum eſſe oportet, Quincuncem videlicet aut nunquam ſignatum fuiſſe, aut ſi fuerit, in deſuctudinem poſtea abiiſſe; neque de nummo idcirco ſignato jam intelligendum eſſe, ſed perinde ac noſtræ monetæ quinque denarios, de nummi tantum fictitii nomine, ex uncia de ſemiſſe dempta, vel Trienti addita, confecti; neque aliter equidem Horatius de eo interpretandus videtur.

---

[b] De Ling. Lat. l. 4. verſ. fin.

[c] Supplem. Vol. 3. l. 4. c. 7. §. 3. &c. it. Dempſt. Etrur. Regal. V. 1. p. 350.

[d] Vid. Cabin. de Sainte Genev. p. 45.

Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini, ſi de Quincunce remota eſt
Uncia, quid ſuperet. Poteras dixiſſe Triens. Eu!
Rem poteris ſervare tuam. redit uncia, quid ſit?
Semis.——[e]

Jam in ærum noſtrorum pleriſque ea ipſa ſigna impreſſa cernimus, quæ Plinius Aſſi, partibuſque ejus tanquam propria attribuit; Jani videlicet bicipitis, ac navis ratiſve imagines[f]. Præter hæc autem ærum ſigna legitima ac propria, alia interdum diverſi prorſus generis animadvertere licet, quæ a magiſtratibus, quibus æris ſignandi munus commiſſum erat, pro arbitrio plerumque poſita eſſe videntur[g]. Etenim in Familiarum Romanarum nummis, aſſes hoſce, item ac ſingulas eorum partes, ſignis ſibi propriis notatos, et una cum percuſſoris nomine, ſymbolis etiam quibuſdam ad familiam ejus pertinentibus, ſignatos ſæpiſſime videmus[h]: ex quo quidem ſignorum in his nummis varietatem maxima ex parte derivatam arbitror. Quod Janus autem Geminus et Navis, ſigna ſemper æris legitima ac præcipua fuerint, ex puerorum luſu quodam, ut Macrobius ſcribit, demonſtratur: nam æs, inquit ille, *ita ſignatum*

---

[e] De Art. Poet. 325.

[f] Hinc Feſtus Quadrantem, ratitum dictum eſſe ſcribit.

[g] Poſt Reges Urbe pulſos, Æris ſignandi poteſtatem penes conſules fuiſſe, haud dubium eſt; hi tamen, cum rebus gravioribus diſtenti eſſent, reliquis, opinor, magiſtratibus munus iſtud committere ſolebant. Temporis autem progreſſu, magiſtratum quendam proprium, qui huic rei præeſſet, conſtitutum invenimus; tres videlicet cives, quos Triumviros ſeu Treviros monetales appellabant. Hos Ciceronis ætate extitiſſe ex joco quodam ejus in nomen illud illudentis, apparet. [Vid. Epiſt. Fam. l. 7. 13. it. de Leg. 3. 3.] Pitiſcus, ex Faſtorum Conſularium auctoritate, eos ante bellum Punicum creatos eſſe contendit. Vid. Lexic. in Voce—

[h] Vid. Theſaurum Morell. ubi horum nummorum exempla in Familiis ſaltem antiquioribus ſatis multa exhibentur.

fuiſſe, hodie intelligitur ex aleæ luſu; cum pueri denarios in ſublime jactantes, Capita aut Naviam, luſu teſte vetuſtatis, exclamant[i].

Priſcis Reipublicæ temporibus, poſt Reges ſtatim exactos, nonniſi modicam admodum æris ſignati copiam Romæ inventam eſſe, mulctaſque propterea civium, bobus ovibuſve ſolvi ſolitas, traditur[k]. Legibus vero tunc cautum erat, ne mulcta graviſſima duos boves, et triginta oves excederet; utque bos Centuſſibus, Ovis Decuſſibus æſtimaretur. Fannius deinde Conſul, A. U. 592. legem ſumptuariam tulit, ut in feſtis ſolennioribus, Centuſſis, in aliis quibuſdam, Trecuſſis, reliquis autem diebus, Decuſſis tantum, ſeu deni Aſſes in ſingulas cenas inſumerentur[l]. His igitur ſeculis, ob æris ſignati inopiam, aſſem haud parvi pretii fuiſſe liquet: ſed poſtquam argentum aurumque deinde ſignari, atque in urbe ſenſim abundare cœperint, tum æris pretium imminui, aſſemque demum, tanquam vilem prorſus, nec ſine contemptu quidem memoratum, legimus; ita ut qui ſummam rei alicujus vilitatem ſignificare vellent, ſe aſſem daturos, negarent[m].

—— —— Cum deerit egenti
As laquei pretium[n]. ——
—— Merſa rate Naufragus aſſem
Dum rogat[o]. ——

At vero Quadrans, ſeu quarta aſſis pars, balneatoribus ſemper, tanquam propria eorum merces, vel more vel lege conſtituta erat; quam plebecula nimirum pro balneorum publicorum uſu ſolvere ſolebat. Hinc Quadrante lavari; idem fere apud auctores veteres ſignificat, ac balneo uti[p]. Quippe apud populum ſub ſole calido degentem, neque linteis omnino ullis, ſed lana prorſus veſtitum, cum balnea certe, et ad munditiem et ad valetudinem etiam neceſſaria erant, prudenter admodum proviſum eſſe videtur, ut eorum uſus omnibus promiſcue, et pretio ſane quam minimó permiſſus eſſet.

---

[i] Macrob. Sat 1. c. 7. Navia, ratis erat ex unico ligno exſculpta. Feſt. Atqui hunc eundem aleæ luſum, a Romanis, ut videtur, derivatum, apud pueros item noſtros in uſu adhuc eſſe videmus; qui nummos æneos in aerem jactantes, Capita aut Feminam, exclamant, ſponſione interim facta, utrum eorum ad terram ſuperius ſit caſurum.

[k] Plutar. in Vit. Poplic. p. 103.

[l] Vid. Dionyſ. Hal. it. A. Gell. l. 2. 24. it. Macrob. Sat. 2. 13.

[m] Cic. Orat. pr. Quinctio. 5. As enim quarta fere parte minus, quam denarius noſter, pretio valuiſſe putatur.

[n] Hor. Sat. l. 2. 2. 99.

[o] Juv. 14. 301.

TABULA XX.

PRima Tabulæ hujus figura ponderis antiquorum libralis effigiem ſatis pulchram, ex ære conflatam, exhibet; quæ litteris græcis in hunc modum ſignata eſt; λ. A. Quarum quidem primæ duæ, λ, ponderis ipſius nomen, Litram, indicant; A, vero unam Litram denotat. Hujuſmodi pondera, ex ære facta et publice ſignata, in templis, ærariis, macelliſque urbis, ad communem civium uſum aſſervari ſolebant, ut ex monumentis, inſcriptionibuſque antiquis apparet[q]. Pondus hoc noſtrum, ob materiæ duritiem, ſuperficiemque glabram et æquabilem, nonniſi parvulum quiddam de gravitate priſtina amiſiſſe reperio: nam uncias adhuc undecim et paullo plus dimidia, continet; parte nimirum ejus haud viceſima quarta abſumpta: quod eruditorum eorum ſententiam plane confirmat, qui libræ veteris uncias, ut ſupra dictum eſt, eaſdem eſſe contendunt, ac noſtras iſtas, quas Averdupois hodie vocamus[r].

---

[p] —— *Dum tu Quadrante lavatam*
Rex ibis——
Hor. Sat. 1. 3. 137.
Cædere Silvano porcum Quadrante lavari,
Juv. Sat. 6. 446.

[q] Vid. Fabrett. Inſcript. p. 524. &c.

[r] Vid. Hooper on Ancient Meaſures, p. 10. 15. Arbuthnot. Tab. 7. Note 1. vid. item, Operis hujus p. 194. Not. 3.

At vero omnes, qui de ponderibus his antiquis ſcripſerunt, ac momenta eorum accurate definire conati ſunt, magnam in eis ſane varietatem et diſcrepantiam ſe inveniſſe dicunt, ita ut in ſingulis non modo Italiæ, ſed urbis etiam ipſius regionibus, diverſa eorum genera in uſu fuiſſe exiſtiment, quæ ad modulum aliquem certum legitimumque à magiſtratibus haud redigi potuerunt: quorum quidem pleraque, quæ hodie manent, a menſura fere uſitata deficere, quædam tamen contra, eandem exſuperare reperiuntur[f]. Atque hæc ponderum antiquorum diſcrepantia, nummorum item æneorum, qui ad ponderum rationes ſemper accommodari ſolent, varietates eas ſupra indicatas explicare poterit.

SECT. II.

Pondera ea minora, quorum ſeriem quandam proximo loco deſcriptam videmus, nonniſi unciam veterem ejuſque partes aliquas exhibent. Ex variis autem eorum momentis perſpicere licet; uncias haſce, prout in locis diverſis reperta, aut ad uſus diverſos adhibitæ eſſent, et magnitudine plerumque et pondere a ſe invicem diſcrepaſſe. Medici Romæ degentes, unciam Atticam uſurpaſſe dicuntur, quæ Romana gravior erat, atque ex granis circiter quingentis conſtabat[t]. Quamobrem de ponderum horum minutorum figuris, primam et maximam, unciam iſtiuſmodi Atticam eſſe puto; haud viginti jam grana de pondere juſto deſiderantem.

Secunda Figura, uncia Romana eſt, de pondere tamen antiquo parvulum quiddam diminuta.

Tertia item, uncia eſt, ut notæ iſtæ argenteæ in ſuperficiem ejus inſertæ, indicant: quarum altera, ♉, unciæ propria eſſe, altera vero, A, unam, ut dixi, denotare, putatur[u]. Hæc autem uncia, vel vetuſtate attrita, vel pondere potius minori, quam par erat, ab initio conflata, jam quartam unciæ Romanæ partem, et amplius aliquanto deſiderare reperitur.

---

[f] Vid. Hoop. ib. p. 173.

[t] Vid. Hoop. ibid. p. 56.

Quarta, tribus punctis diſtincta, Drachma Attica eſt, octava unciæ Atticæ pars, quæ medicis præcipue in uſu fuit, et tres ſcrupulos, tribus iſtis punctis indicatos, continebat[w].

Quinta, duobus punctis notata, duos unciæ ejuſdem ſcrupulos denotat.

Reliquæ duæ, quæ reſtant, forma plana atque orbiculari, Unciam item Romanam, et Semunciam indicant; ut ex notis, momentiſque eorum apparet. Nota enim iſta Γο, quam in aliis quoque ponderibus animadverti, Unciam, Græce ſcriptam, *ὀυΓκίαν*, denotat[x]. Quid autem notulæ iſtæ, in figura Semunciali inſculptæ, ſignificent, haud dictu facile eſt. Crucis ſane forma, eam Imperatorum Chriſtianorum temporibus confectam[y], momentumque ejus, ſemunciam eſſe, oſtendit; quæ grana tantum quatuordecim de pondere antiquo amiſit.

	Unc.	Gran.
Litra igitur noſtra, ſeu Libra jam continet -	11	222
Prima Uncia - - -	1	46
Secunda - - - - -	0	424
Tertia - - - - -	0	321
Drachma - - - -	0	55
Duo Scrupuli - - -	0	42
Uncia plana - - - -	0	407
Semuncia - - - -	0	205

---

[u] Vid. Le Cabin. de S. Genev. p. 63. Tab. 18. Fig. 1, 5.

[w] *Drachma Attica (fere enim Attica obſervatione Medici utuntur) denarii argentei habet pondus.* Plin. l. 21. 34. Αραχμὴ τὸ ὄγδοον τῆς ὐγκίας. Heſych. in Δραχ.

[x] Vid. Le Cabin. ib. Fig. 11.

[y] Ibid.——

SECT. III.

Figura tertia, Aquilæ effigiem æneam, baſi quoque æneæ inſiſtentem, præ ſe fert. Hujuſmodi autem Imagunculas, ex auro, argento, aut ære interdum deaurato fictas, ſigna militum Romanorum præcipua et nobiliſſima fuiſſe, notiſſimum eſt: quæ haſtis nimirum longiuſculis impoſitæ, ſingulis legionibus, tanquam propria earum inſignia, ſingulæ tributæ erant: quem quidem alitum regem, Joſephus, Legionibus Romanis, quaſi *imperii ſymbolum*, *omenque victoriæ*, præfuiſſe ſcribit[z].

Præter Aquilas autem iſtas Legionarias, cohortes item ſingulæ, ac manipuli ſigna ſibi propria habuerunt, quæ ex rerum variarum formis, alia ſuper aliam congeſtis, atque haſtæ pariter impoſitis, conſtabant. In his, Imperatorum imagines pictæ, et in clypeis ſingulis incluſæ, principem fere locum obtinebant; quibus Aquila quoque deaurata, et clypeo incluſa, deſuper plerumque adjuncta erat; ita ut ex triplici aut quadruplici clypeorum ordine, una cum Aquila ſuperimpoſita, hæc ſigna in nummis, ſculpturiſque antiquis in altum perſæpe exſtructa reperiantur[a].

Hæ vero Aquilæ et magnitudine et pondere perexiguo fuerint, neceſſe eſt, propterea quod hi omnes clypeorum ordines, imaginumque, ut vocantur, ſuggeſtus[b], a ſignifero facile, idque vel una, ut videtur, manu, portari poſſent: ut ex ſigniferorum ipſorum figuris, in columnis antiquis inciſis, colligere licet[c]. At vero Legionarias etiam Aquilas, quæ vel ſingulæ portabantur, hac noſtra figura haud majores multo fuiſſe, ex Floro diſcimus, qui inſignem eam Variani exercitus cladem, qua tres legiones perierant, commemorans, "ſigna, inquit, et Aquilas duas adhuc barbari poſſident; tertiam ſignifer, priuſquam in hoſtium manus veniret, avulſit, merſamque intra baltei ſui latebras gerens, in cruenta palude ſic latuit[d]." Quippe perexiguam Aquilam iſtam fuiſſe, fatendum eſt, qui in baltei militaris latebris occultari commode poterat.

---

[z] De Bell Jud. l. 3. c. 6. Edit. Haverc.

[a] Vid. Colum. Trajan. p. 7, 16, 29, 77, &c.

[b] Tertull. Apol. c. 16.

[c] Vid. Columm. ib. p. 77, &c.

Hæc ſigna militaria, ſacrata ſemper habita eſſe, Aquilaſque præſertim, fulminis miniſtras, divinis plane honoribus coli ſolitas, accepimus. Tacitus eas quidem, *propria legionum numina*, appellat[e]. *Religio tota caſtrenſis*, inquit Tertullianus, *ſigna veneratur*, *ſigna jurat*, *ſigna omnibus Deis præponit*[f]. Itaque hac religione commotus, *Parthorum Rex*, *Artabanus*, *Aquilas et ſigna Romana*, *Cæſarumque imagines adoraviſſe*, traditur[g]. Atque hinc in ſignis iſtis, ſacella quædam parvula et faſtigiata, Aquilis, ad divinitatem earum indicandam impoſita, atque in nummis interdum antiquis expreſſa videmus[h].

Attamen non in caſtris modo ac militiæ, ſed domi etiam Aquilas haſce in iſtiuſmodi ſacellis collocatas, et cultas eſſe legimus: de quo quidem genere, *Aquila iſta argentea* fuit, cui *Catilina ſacrarium domi conſtituiſſe*, *cultumque divinum tribuiſſe* dicitur[i]. Atque hanc igitur Aquilæ noſtræ Icunculam, quæ baſi, in arulæ plane modum conformatæ, ad vota quaſi excipienda, inſiſtit, ex Aquilis iſtis ſacratis fuiſſe conjicio, quæ vel in ſignis militaribus portari, vel domi etiam conſecrari, ac numinum inſtar in Larariis coli ſolebant.

---

[d] Lib. 4. c. 12.

[e] Annal. 1. 39.

[f] Tertull. ibid.

[g] Sueton. in Calig. c. 14. 5.

[h] Vid. Patin in Numm. Conſtantini et Filior. it. Stewech. in Vegetium. c. 6.

[i] Cicer. in Catil. Orat. 1. 9. 2. 6.

SECT. IV.

Figura quarta, Gutti antiqui, ex ære confecti, effigiem oſtendit; vaſculi ſcilicet, ad olea, unguenta, ac liquida quævis pretioſa conſervanda, atque ut nomen indicat, guttatim fundenda, inventi. Uſus autem ejus in balneis præcipue vigebat: ubi lautiores quique, cum lavati jam, ſtrigilibuſque abſterſi eſſent, tum oleo, ſeu unguento aliquo nobili, ex his vaſculis guttatim effuſo, inungi ſolebant.

> ——*Domus interea ſecura patellas*
> *Jam lavat et bucca foculum excitat et ſonat unctis*
> *Striglibus, et pleno componit lintea Gutto*[k].

Præterea ad ſacros item ritus, Guttos adhibitos eſſe, a Plinio indicatur; qui *M. Curium juraſſe*, ſcribit, *ſe ex hoſtium præda nihil attigiſſe, præter Guttum faginum, quo ſacrificaret*[l]. Quippe in priſca illa urbis paupertate, nonniſi Guttis ligneis aut fictilibus, vel principes civitatis libamina ſua ad Deorum aras ferre ſolitos, conſtat.

At vero vaſculorum eorundem figuras, in monumentis aruliſque ſepulchralibus ſæpiſſime inſculptas, reperimus[m]: quod quidem Guttos item hoſce ad ſepulchrorum ſacra pertinuiſſe, atque ad unguenta pretioſa et odorifera in mortuorum cineres fundenda, adhibita fuiſſe, oſtendit.

SECT. V.

HÆC Pedis ænei figura, de donariorum eorum numero fuiſſe videtur, quæ ex voto Deorum alicui ſuſcepto, ac

---

[k] Juven. S. 3. 261.

[l] Lib. 16. 38.

[m] Vid. Boiſſard. Par. 3. p. 46, 61, 65, 68, &c.

beneficio inde accepto, tanquam grati animi pignus, in Templo ejus ſuſpendi ſolebant. Hanc enim apud omnes fere gentes opinionem invaluiſſe accepimus, Deos nimirum donis maxime placandos eſſe.

Munera, crede mihi, placant homineſque Deoſque ;
Placatur donis Jupiter ipſe datis[n].

Quamobrem omnes iſtæ membrorum humanorum imagines, quæ vel fictiles vel ex metallis conflatæ, e Templorum veterum ruinis ſæpe effoſſæ atque ad hunc diem conſervatæ ſunt[o], ex hac ſuperſtitione originem duxiſſe videntur ; neque aliud omnino eſſe, ac dona iſtiuſmodi, quæ, ob membra iſta morbo aut dolore aliquo levata, Deorum alicui ex voto dicata fuiſſent.

Hujuſmodi vero donariis, etiamſi Æſculapii potiſſimum templa, ut ſupra dixi, referta fuerint, quæ *remediorum ſalutarium mercedem, ægri ſacraverant Deo* ; attamen omnibus promiſcue Deis hæc eadem quoque ſuſpenſa fuiſſe, conſtat : quorum quidem exempla bene multa adhuc extantia, et in libris paſſim deſcripta, videre licet. De his autem Pedum imaginibus, Fabrettus tria ſane paria marmorea exhibuit, quorum primum ISIDI. FRVCTIFERAE dicatum eſt ; ſecundum, Deæ cuidam, haud alias memoratæ, QVIE IANAE ; tertium, nullo omnino titulo inſignitum[p].

Bonannius item, Jeſuita ſane eruditus, tres Pedum figuras, æneam, fictilem, et marmoream edidit, aliaſque præterea ex argilla fictas, in Collegii Romani Muſeo aſſervari ait, quas omnes vel pedibus laborantium, vel navigantium potius vota fuiſſe putat, Dianæ ſeu Veneri ſuſcepta, quam nautæ præſertim, tanquam maris Dominam invocare conſueverunt. In cujus rei teſtimonium, Pedem quoque votivum, eximio opere e ſuccino fictum, adducit, cum hac inſcriptione.

---

[n] Ov. de Art. Amand. 3. 653.

[o] Vid. Montfauc. Antiqu. Vol. 2. l. 4. c. iv. &c. it. Muſe. Kircher. Claſſ. 2. p. 61. it. Thomaſin. de Donar. &c.

[p] Vid. Fabrett. Inſcript. 471, 472— Bina pariter pedum marmoreorum paria, in uno lapide inſculpta, ab eodem exhibita videmus, cum hac inſcriptione ;

LICINIA. PHILETE.
PRO. SALVTE. SVA. ET. SVOR.
D. S. P.

D. M.
VENERI. SS. FELICI.
CONSERVATRICI. MATRIQVE. DEVM.
CVPIDINI. COELESTI. C. CAESTIANVS[q].

Hanc vero eandem, de donis tabuliſque votivis, ſuperſtitionem, Romæ etiam hodie, perinde ac in urbe veteri, vigere, alio quodam libello demonſtravi; quod quidem a Bonannio ipſo, jam confirmari video; qui de his veterum donariis diſputans, eorumque exempla varia proferens, hanc deinde clauſulam adjungit; "Talem Ethnicorum morem etiamnum ubique imitantur, ſed veræ religionis ſignificatu, Chriſti fideles; qui marinis undis jactati, Deiparæ, tanquam propitiæ maris ſtellæ, opem implorant; ac præſertim in Adriatico, ex quo cum littus tenuerint, non raro nudis pedibus, ad ſacram Ædem Lauretanam, peregrinantur ſua vota ſoluturi; ibique in Tabellis pericula expreſſa relinquunt[r]."

S E C T. VI.

DE Tigridis imagine ænea, quam ultimo loco hic expoſui, nihil equidem, quod liquet, dicere habeo. Attamen

---

[q] Muſ. Kircher. p. 68, 69. Bina quoque pedum paria, in marmore quodam inſculpta, et INVICTE CELESTI VRANIAE dicata, idem Bonannius commemorat. p. 78.

[r] Ibid.

men quia opere antiquo nec invenuſto perfecta eſſe videtur, ad reliquas Tabulæ hujus figuras eam adjungere libuit, ut locum ſaltem vacuum implere poſſet. Hanc beſtiæ rabidæ figuram, ore hiante, uberibuſque pendentibus, quæ clypeum item Gorgonis ore inſignitum, conſpectui quaſi hominum objicit, quum ferocitatem terroremque præ ſe ferat, ad uſum aliquem militarem ſpectaſſe conjicerem, niſi quod in bellico Romanorum apparatu, nulla iſtiuſmodi figura, ſignumve, vel a ſcriptoribus memoratum, vel in monumentis deſcriptum reperitur. At vero haud ſcio, an ad Bacchi forſitan ſacra imagunculam noſtram reſpectum aliquem habere credamus; quem quidem Deum Tigribus præcipue domandis celebrem, nec niſi Tigribus junctis, curru vehi ſolitum cognovimus.

Jam Deus e curru quem ſummum texerat uvis,
Tigribus adjunctis aurea lora dabat [f].

Hanc vero rem aliis, quibus otium majus, aut conjectandi ſollertia felicior obtigerit, contemplandam conſiderandamque relinquo.

TABULA XXI.

Gemma hujus Tabulæ prima, Byzantis effigiem præ ſe fert, a quo urbs Byzantium condita traditur; quemque inter inclytos priſci ævi Heroas a veteribus celebratum invenimus [s]. Ætatem ejus nonnulli ad ſecula plane heroica, atque Argonautarum tempora referunt; quos ad regnum etiam ejus appuliſſe Diodorus ſcribit [t]. Alii autem veriſimilius, eum

---

[f] Ovid. De Amand. l. 1. 549.

[s] Vid. Jac. Gronov. Theſ. Antiqu. Græc. Vol. 2. c 29.

Megarenſium claſſis præfectum fuiſſe dicunt, coloniamque inde ad oræ maritimæ oppidum deduxiſſe, quod antea Lygos, ſed, a conditoris nomine, Byzantium deinceps appellatum eſt; idque circa Olympiada triceſimam accidiſſe, Joſia ſcilicet Hieroſolymis et Tullo Hoſtilio Romæ regnante, declarant [u].

Sed de Byzantis origine atque ætate quicquid ſtatuendum fuerit, Byzantinos certe eum, tanquam urbis ſuæ conditorem ſemper agnoviſſe, effigiemque ejus in nummis ſuis ſignaſſe, conſtat. Caninius, inter illuſtrium imagines, Byzantis effigiem, nomenque ſimul in nummo quodam æneo ſignatum protulit; cui ex altera parte Prora navis inſculpta erat; quod eum claſſe iſtuc advectum, ac coloniæ deductorem eſſe indicare videtur [w]. Alterum etiam nummum, huic omnino ſimilem, et Byzantis pariter effigie ac nomine ſignatum, Fulv. Urſinus edit [x]: quorum quidem uterque cum gemma noſtra mirifice conſentit, eandemque prorſus imaginem exhibet; eundem oris habitum, *barbam, galeam, et criſtam quoque crinibus defluentibus* ornatum: neque alio omnino habitu, Goltzius, Gronovius, Harduinus effigiem ejus, in nummis exhibuerunt, quam tamen diademate ſemel redimitam, Vaillantius ſe vidiſſe declarat [y].

Horum igitur nummorum auctoritate, Gemmam noſtram Byzantis imaginem præ ſe ferre, colligimus. Quod Byzas autem, urbis Byzantii conditor, vel ad poſtrema Romani Imperii ſecula, habitus fuerit, a Claudiano diſcimus; qui in Eutropium conſulem invehens, quod duobus illuſtriſſimis urbis iſtius conditoribus, ille quoque ab adulatoribus, tertius adjungeretur, ita indignabundus queritur;

---

[u] Τοὺς δ' Αργοναύτας κατὰ στόμα τοῦ πόντου γενομένους, προσπλεῦσαι τῇ γῇ, βασιλεύοντος τότε τῆς χώρας Βύζαντος. ἀφ' ὅυ ϗ τὴν πόλιν τῶν Βυζαντίων ὠνομάσθαι. Diod. Sic. l. 4. p. 252. Edit. Hanov.

[w] Vid. Geo. Cedren. Compend. Hiſtoriar. Edit. Par. p. 112. A. it. Stephan. de Urbib. in Byzant. it. Scalig. in Euſeb. Chron. it. Plin. l. 4. xi.

[x] Vid. Canin. Iconograph. Tab. 35.

[y] Vid. Illuſtr. Imagin. Tab. 40.

quod tertius urbis
Conditor: hoc Byzas, Conſtantinuſque videbunt [z] ?

Sculpturæ denique præſtantiam quod attinet; imago ipſa opere, ut mihi videtur, antiquiſſimo, atque a Græco olim Artifice, in Achate nitido, eximie inſculpta eſt, ejuſdemque prorſus magnitudinis, ac figura ejus ectypa, quam hic delineatam damus.

SECT. II.

GEmma ſecunda, et ſculpturæ artificio, et lapidis ipſius pulchritudine inſignis, Hermaphroditi, opinor, ſupra pellem caprinam humi recumbentis effigiem nobis offert, cujus brachium dextrum ad arborem alligatum eſt. Ex altera parte Satyrus, genibus in terram flexis, Hermaphroditi veſtem avellere, corpuſque denudare videtur; et perſpecto rei miraculo, vel in cachinnum erumpere, vel præ admiratione, ad cœlum ora convertere: ex altera parte, Faunus, genibus item flexis, in prodigio eodem contemplando defixus hæret.

Hanc figurarum deſcriptionem, ad fabulam fortaſſe aliquam, iis temporibus notam, alludere credamus; qua Satyrus, Faunuſque, pronum in Venerem genus, mulierem, ſub arbore dormientem, ſe offendiſſe credentes, eam ſtatim ad arborem, libidine inflati, alligaſſe, ſed corpore demum nudato, Hermaphroditum inveniſſe finguntur. Notiſſima illa quidem Salmacis fabella eſt, de Hermaphroditorum origine ac nomine, quos Ovidius ita deſcribit.

---

[z] Claud. in Eutrop. 2. v. 83.

Nec duo ſunt et forma duplex, nec fœmina dici,
Nec puer ut poſſint ; neutrumque et utrumque videntur [a].

Illud tamen nequaquam fabuloſum aut commentitium, ut Valerianus ait, habendum eſt, "utriuſque naturæ homines inveniri, qui partem inter ſe utramque peragant ; cujuſmodi ſunt populi, ſupra Naſamonas, confineſque illis Maclias, Calliphanis teſtimonio ſatis cogniti——ubi ſevera lege cautum, ut quem malint ſexum eligant, altero ſi abutantur, capitali ſupplicio puniendi [b]."

Quod Hermaphroditi autem, apud omnes fere gentes, atque omni ætate revera extiterint, a ſcriptoribus antiquis, tam Græcis quam Latinis, memoriæ proditum eſt. Diodorus eos, inter *humani generis monſtra* a nonnullis recenſeri, ſcribit ; raro in lucem editos, *et interdum mala, interdum bona portendentes. Quid ortus Androgyni, inquit Cicero, nonne fatale quoddam monſtrum fuit ?* Plinius dein, *gignuntur*, inquit, *et utriuſque ſexus, quos Hermaproditos vocamus, olim Androgynos vocatos, et in prodigiis habitos, nunc vero in deliciis* [c]. Quippe ſtatuas eorum e marmore fingere effigieſque in gemmis inſculpere ſolebant, quarum quidem duas, antiquo opere atque eximia arte fictas, vel hodie etiam extantes, alteram Romæ in Villa Borgheſia, alteram Florentiæ, in nobiliſſimo Etruriæ Ducis Muſeo vidi ; utraſque ſane inter præſtantiſſima ſculpturæ veteris monumenta merito numerandas ; Florentinam autem iſtam, e Pario marmore fictam, qui in hiſce rebus intelligunt Hermaphroditum illum nobilem eſſe credunt, quem Plinius Policlis opus eſſe declarat [d]. At non antiquorum modo teſtimoniis, ſed exemplis aſpectuque ipſo, hac noſtra ætate, Hermaphroditos eſſe cognovimus. In oppidis enim noſtris ex Africa nuper hominem vidimus, qui ſigna utriuſque ſexus propria, in ſe plane conjuncta habuit; ita tamen, ut neuter eorum perfectus, ſed eo penitus modo confuſus apparuerit, quem ab Auſonio deſcriptum legimus.

---

[a] Ovid. Metam. l. 4. 378.

[b] Pier. Valerian. Hieroglyph. l. 18. p. 135.

[c] Diod. Sic. l. 3. p. 215. Edit. Hanov. it. Cic. De Divin. 1. 41. it. Plin. Hiſt. Nat. l. 7. 3. vid. etiam xi. 49.

[d] Plin. ib. 34. 8. Vid. etiam Muſeum Florent. a Gorio edit. Tab. 40, 41. Her-

Concretus ſexu, ſed non perfectus utroque;
Ambiguæ veneris, neutro potiundus amori [e].

Gemma noſtra ex eo Onychum Arabicarum genere eſſe videtur, quas Plinius *nigras* eſſe dicit, *candidis zonis* [f]. Quaſque Itali hodie Nicolos et Cameos vocant. Quippe lapis ipſe niger, vena quadam candida, quaſi zona cinctus eſt, e qua imagines ipſæ exſculptæ finguntur [g].

SECT. III.

GEmma tertia, Parthorum Regis cujuſdam imaginem exhibet; eo plane habitu atque inſignibus ornatam, quibus Principes iſti, cum in gemmis, tum in nummis inſculpti cernuntur [h]. At vero aliam quoque huic noſtræ conſimilem et fere eandem, Baudelotium in lucem antea edidiſſe video: quam, perinde ac noſtram, in Achate litteris Parthicis inſcripto, et in anuli formam confecto, inſculptam, atque omnium, quas in

---

maphroditorum quoque imagines in Gemmis inſculptas, in alio ejuſdem Muſei volumine videre licet. Tab. 82. item inter Gemmas a Dominico Roſſi Romano editas, Vol 3. Tab. x.

[e] Epigr. 100.

[f] Hiſt. Nat. 37. 6.

[g] In gemmis hiſce, quibus ſtrata ſeu venæ diverſis coloribus erant, hoc antiquis uſitatiſſimum eſſe cognovimus, ut ſtratum lapidis nigrum, fundi ſive radicis loco uſurparent, et in vena deinde candida figuras plerumque totidem, quot commode excipere poterat, cælando effingerent: ita ut opus ipſum, e nigro candidum exſurgens, eminentius pulchriuſque ob colorum varietatem, appareret.

[h] Montfauc. Antiqu. V. 3. l. 2. c. 14. it. Supplem. V. 3. l. 2. c. 1.

eo genere viderat, pretioſiſſimam pulcherrimamque eſſe declarat[i].

Medorum equidem Parthorumque veterum Reges, veſtium Regalium ſplendore, ornatuque pœne fœmineo, omnium maxime, gaviſos conſtat. Nam faciem, oculoſque pigmentis illinere, comaſque aſcititias, in cincinnos varios contortas, *inaures, monilia et armillas* geſtare ſolitos legimus: ita enim Xenophon, *Aſtyagem Medum, atque ita fere Plutarchus Surenam, Parthorum ducem* deſcribit; eumque ornandi morem Parthos a Medis accepiſſe dicit[k].

Quod Parthorum autem Regum imagines in gemmis ſæpe inſculptæ eſſent, atque eo prorſus habitu, quo ipſi revera ornari ſolerent, ex Plinio diſcimus: qui ad Trajanum e Bithynia ſcribens, "ſe ſervulum quendam apud ſe tenere dicit, qui a Pacoro, Parthiæ rege aufugiſſet, ſecumque gemmam attuliſſet, quæ Pacori imaginem, et quibus inſignibus ornatus fuiſſet, inſculptam habebat: gemmam autem ipſam, aut vi aut furto a Servulo ablatam, Plinus ſe requirere ait, ut eam ad Trajanum mitteret[l]." Itaque gemmam noſtram, non tam ob ſculpturæ pulchritudinem, qua ſeſe tamen facile commendare poſſet, quam ob rei ipſius raritatem, æſtimabilem eſſe, conſtat: quippe quam Romæ olim uti videmus, Proconſules ipſi poſſidere cupiiſſent, dignamque, quæ ad imperatorem muneri mitteretur, exiſtimaſſent.

---

[i] *Siquis*, inquit Baudelotius, *litteras Parthicas in hac gemma inſcriptas explicare poſſet: eas lucis certe aliquid ad gentis Parthicæ hiſtoriam allaturas, neceſſe eſt.* [Utilitè des Voyages. V. 1. p. 309.] Sed litteras iſtas, tanquam deperditas plane, atque inexplicabiles ab eruditis cenſeri reperio. [Vid. Montfauc. Supplem. ibid.] Neque pauculas ſane iſtas in gemma noſtra inciſas, ſi explicabiles eſſent, aliud omnino quidpiam, ac Regis ipſius nomen, indicaturas fuiſſe arbitror.

[k] Vid. Xenoph. de Cyri Inſtitut. p. 19. Edit. Oxon. et Plutarch. in Vita Craſſi. p. 537. F.

[l] Epiſt. l. x. ep. 16. Edit. Elſev.

SECT. IV.

Gemma quarta, Pruſiæ, Bithyniæ Regis caput, opere antiquo in Carneola eximie inſculptum præbet. Principis hujus effigiem, inter Illuſtrium imagines a Fulv. Urſino collectas, in nummo quodam argenteo impreſſam cernimus; quam Jo. Faber, qui imagines iſtas commentario illuſtravit, ſe in *aliis quoque nummis, una cum Pruſiæ ipſius nomine, itemque in gemmis anularibus inſculptam* vidiſſe declarat[m].

Tres iſtiuſmodi nummos, Pruſiæ nomine inſcriptos, Begerus edidit[n]. Qui diverſis licet temporibus, atque a diverſis civitatibus percuſſi, omnes tamen ſimilitudinem quandam inter ſeſe, ac eundem oris habitum oſtendunt; noſtramque ideo gemmam nonniſi Pruſiæ imaginem exhibere confirmant.

Res ejus geſtæ ab Hiſtoricis pleriſque celebrantur. Sed non tam ob bella, victoriaſque contra alias gentes, celebris, quam propter obſequium erga Romanos ſervile atque abjectum, infamis erat. Natura ſane verſatilis, crudelis, atque infidus eſſe traditur: qui Hannibalem, jam ſenem admodum, atque ad ſe profugum, ni veneno ſeſe prius ipſe occidiſſet, Romanis traditurus eſſet[o]. Antiocho enim devicto, et Perſeo Macedone, cujus ſororem in matrimonio duxerat, captivo Romam ducto, Romanorum potentiam uſque eo extimuiſſe fertur, " ut pileatus et capite raſo obviam ire Legatis, libertumque ſe Populi " Romani dicere ſoleret; et Romæ quoque quum veniret in " curiam, ſummittere ſe, et oſculo limen curiæ contingere; " et Deos ſervatores ſuos, ſenatum appellare[p].

---

[m] Vid. Fulv. Urſin. Imagin. 119. et Fabri Comment. p. 69.

[n] Theſaur. Brandeb. Vol. 1.

[o] Liv. l. 39. 30.

[p] Liv. l. 45. 44. Appian in Mithridat. prope init.

Appianus eum *facie illiberali, ac ſtatura puſilla* fuiſſe ſcribit[q]. At ſculptores iſti veteres, quorum ars, perinde ac Pictorum, ornatiora fere omnia, ac pulchriora, quam natura ipſa fert, reddere ſolet, in gemma etiam noſtra, jure ſuo uſi ſunt, venuſtumque eum potius quam deformem finxerunt. Quippe faciem ei juvenilem ac barbatulam hic tributam cernimus: qua quidem barbula, ſed pro diverſo ætatis gradu, paullulum interdum craſſiore, in nummis, opinor, omnibus inſignitus apparet.

SECT. V.

GEmmam quintam, Sexti Chæronenſis, Plutarchi Nepotis, effigiem exhibere conjicio. Philoſophi enim potius quam Imperatoris imaginem præ ſe ferre videtur; et nummum etiam antiquum, conſimili plane effigie ſignatum, Sponius in lucem edidit, cui litteris Græcis, SEXTI nomen inſcriptum eſt; quod ad Sextum omnino Chæronenſem, M. Aurelii Præceptorem, referendum eſſe contendit; idque ex nummi ipſius fabrica, barbæque etiam forma confirmari arbitratur[r].

Neque mirum ſane cenſeri poteſt, quod in Sexti hujus memoriam nummi poſt mortem ejus percuſſi eſſent; quem tanto in honore apud Imperatorem illum fuiſſe accepimus, ut *una jus dicere ſoleret*[ſ]. De hoc autem Sexto viros doctos inter ſeſe diſceptare video, an idem cum eo fuerit, qui Empiricus dictus eſt, cujuſque opera adhuc nonnulla reſtant. Sed Chæronenſem noſtrum ab Empirico prorſus diverſum, neque Pyrrhoniæ, ut Suidas cenſet, ſed Stoicæ ſectæ addictum eſſe conſtat; quod cum a Capitolino[t], tum ab Imperatore præſertim ipſo ſignificari videtur; qui ea omnia enumerans, quæ a Sexto didiciſſet, hoc quoque adjungit; "quod neque iracundiæ, neque ullius "omnino perturbationis indicium edere, ſed iſtiuſmodi affec"tibus penitus immunis, ſuorum tamen omnium amantiſſimus "eſſe deberet[u]." Quod quidem præceptum nonniſi e Stoicorum ſcholis manaſſe perſpicuum eſt.

---

[q] App. ibid.

[r] Miſcel. Erud. Antiqu. Sect. 4. p. 140.

[ſ] Vid. Suid. in Sexto. a L. Vero quoque M. Aurelii in Imperio ſocio, Sextus noſter unice dilectus eſſe dicitur. Capitolin. in L. Vero. c. 2.

SECT. VI.

Gemma ſexta, Omphalis effigiem, Herculis inſignibus ornatam, oſtendit. Omphale enim, oris ſui forma, Herculem ita ſubegiſſe, ac juſſis ſuis obſequentem reddidiſſe fertur, ut clavam ejus pellemque leoninam ipſa ſibi ſumens, eum colo et calatho ac cultu muliebri inſtructum, in triumpho quaſi ducere ſoleret. In quam quidem fabellam Poetas ſæpe veteres illudentes invenimus.

Ipſa capit clavamque gravem, ſpoliumque leonis[w].
Cultibus Alciden inſtruit illa ſuis[x].

Thraſo etiam iſte Terentianus, quum Thaidi ſeſe ſummittere conſtituiſſet, ita ſe excuſat;

Qui minus huic, quam Hercules ſervivit Omphali[y]?

Sed hæc Omphalis hiſtoria pervulgata ſane atque a Poetis fere omnibus celebrata eſt[z]: itaque hoc tantum adjungere libet;

---

[t] In M. Aurel. c. 3.

[u] Vid. M. Aurel. de rebus ſuis. l. 1. c. 9.

[w] Ovid. Faſt. 2. 325.

[x] Ib. 315.

[y] Eunuch. Ac. v. 8. 3.

[z] Ab Ovidio fuſe expoſita eſt, in Deianiræ Epiſt. v. 100. Ejuſque imago, his ipſis inſignibus ornata, cum in Græcorum veterum nummis, tum in gemmis etiam perſæpe inſculpta reperitur. Vid. Beger. Theſ. Brandeb. V. 1. 100. it. Theſ. Palat. 274. it. Domenich. Roſſi. Gemm. V. 2. Tab. 101. &c.

hanc ejus effigiem in Carneolo pulcherrimo, atque opere antiquo, inſculptam eſſe.

SECT. VII.

Gemma ſeptima, Matidiæ Auguſtæ caput exhibet, quæ Marcianæ, Trajani ſororis filia fuit, atque Auguſtæ cognomen Senatus conſulto obtinuit; Trajanumque deinde avunculum, una cum Plotina uxore, ad Parthicum bellum comitata eſt. Duas ea filias reliquit, Matidiam et Sabinam, Hadriano poſtea Imperatori nuptam; qui Socrui divinos honores tribuiſſe, atque *aromatica populo, anniverſario parentalium die*, donaſſe traditur[a]. Nummi in honorem ejus percuſſi in rariſſimis numerantur; omnes vero quos mihi videre contigit, eundem plane oris habitum, comarumque ornatum, ac quem in gemma noſtra cernimus, præ ſe ferunt[b]; quem quidem ætatis ejus conſuetudini congruentem eſſe, ex ſtatuis eorum temporum muliebribus apparet[c]. Quarum comæ, veluti a Poetis deſcribuntur, in altum ita exſtructæ erant, ut mulieres ipſæ a fronte quam a tergo altiores conſpicerentur.

> *Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum*
> *Ædificat caput; Andromachen a fronte videbis,*
> *Poſt minor eſt: credas aliam*[d].

Matidiæ autem imagines in nummis utcunque raræ, in gemmis tamen rariores eſſe videntur: nam præter hanc unam, haud aliam uſpiam, vel in libris deſcriptam, vel in Muſeis aſſervatam me vidiſſe memini. Hoc ejus caput in lapide Praſio, ſeu Smaragdite, inſculptum eſt; quem Itali vulgo Praſma, nonnulli Smaragdi matrem appellant.

---

[a] Æl. Spartian. in Adrian. c. x. et 19.

I. O. M.
CAESIA. P. F.
MAXIMA
SACERDOS
DIVAE
MATIDIAE.

[b] Vid. Vaillant. Patin. Beger. Vol. 2. 653. &c.

[c] Montfauc. Antiq. Vol. 3. l. 1. c. 12.

[d] Juven. S. 6. 501.
——*Celſæ procul aſpice frontis honores*
Suggeſtumque comæ——Stat. Sylv. 1. 113.

SECT. VIII.

Gemma octava, Fauſtinæ ſenioris, Antonini Pii uxoris imaginem, in Carneola inſculptam præ ſe fert. De qua Capitolinus, "tertio, inquit, anno imperii ſui Fauſtinam "uxorem perdidit: quæ a Senatu conſecrata eſt, delatis Cir-"cenſibus atque Templo, et Flaminicis, et ſtatuis aureis atque "argenteis[e]." In nummis, quorum plurimi adhuc reſtant, Fauſtinæ hujus imago hoc eodem capitis ornatu ſemper fere inſtructa cernitur; capillis nimirum in orbiculos varios, ſupra verticem capitis, eleganter admodum convolutis.

SECT. IX.

Gemma nona, Mercurium, ſymbolis ſuis omnibus fere inſtructum, præfert; Virga ſcilicet, alis, marſupio, ariete, et Gallo Gallinaceo. Virgam ad uſus ſane varios ab eo adhibitam legimus: hac enim ſomnos vel inferre vel adimere, animaſque vel ad Inferos deducere vel evocare ſolebat.

> *Tum Virgam capit: hac animas ille evocat Orco*
> *Pallentes; alias ſub triſtia tartara mittit;*
> *Dat ſomnos adimitque, et lumina morte reſignat*[f].

Hanc ipſam Virgulæ formam, ſerpentum mutuis amplexibus ornatam, germanum Antiquorum caduceum fuiſſe legimus; quo Legati nimirum, ad pacem inter hoſtes conciliandam miſſi, inſtructi ſemper incedebant[g]. *Hic complexus anguium*, inquit Plinius, *et efferatorum concordia*, *cauſa videtur eſſe*, *quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis*, *circumdata effigie anguium fecerint*[h]. Hæc igitur Virga, veluti proprium caduceatoris ſymbolum, Mercurio Deorum nuntio, attributa eſt: quem Ovidius caduciferum; Arnobius; *affabilium Colubrarum geſtatorem*, appellat[i].

---

[e] Cap. 6.

[f] Virg. Æn. 4. 242.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam——Hor. Od. l. 1. x.

Hinc ſe ſuſtulerat paribus Caducifer alis[k].

Alæ autem illi datæ eſſe putantur, non quia *Jovis nuntius aut caduceator*, ſed quia *lingua celeri ac prompta*, *vociſque potens* erat[l]: utque nihil *ſermone velocius* eſſe, indicaretur. *Pennas*, inquit Iſidorus, *habere fingitur*, *quia citius verba diſcurrunt*, *alaſque ei in capite et pedibus ſignificare*, *volucrem ferri per aera ſermonem*[m]. Hinc verba etiam ipſa ab Homero, *alata* appellantur[n].

Marſupium deinde ei, tanquam negotiantium Deo, lucrique conficiendi auctori, tributum eſt; ita enim apud Plautum ipſe munera ſua deſcribit.

Nam vos quidem id ſcitis conceſſum et datum
Mihi eſſe ab aliis Diis, nuntiis præſim et lucro[o].

Atque in eundem ſenſum Inſcriptiones quaſdam antiquas, MERCVRIO NEGOTIATORI ac NVNDINATORI, dicatas invenimus[p].

---

[g] Ὃ φορεῖν εἰώθασιν οἱ περὶ τῶν τοιȣ́των τȣ̀ς λόγȣς ποιȣ́μενοι, ϗ̀ διὰ τȣ́τȣ τυγχάνοντες παρὰ τοῖς πολεμίοις ἀσφαλείας. Diod. Sic. l. v. 341. Edit. Han.

[h] Hiſt. N. l. 29. 3.

[i] Con. Gent. l. 4.

[k] Ovid. Met. 2. 708.

[l] Scimus autem Mercurium vocis et ſermonis potentem. Macrob. Sat. 1. 12.

[m] Iſidor. Orig. l. 8. xi.

[n] Ἔπεα πτερόεντα. Odyſſ. 1. 122.

[o] Amphit. Prol.

[p] Gruter. p. 55. Reineſ. Claſſ. 1. 80. Φασὶ δ᾽ αὐτὸν ϗ̀ μέτρα ϗ̀ σταθμὰ ϗ̀ τὰ ἐκ τῆς εὐπορίας κέρδη πρῶτον ἐπινοῆσαι. —— Diod. Sic. ibid.

Aries quoque in Gemmis hiſce ei ſæpe adjunctus eſt; quo pecudis iſtius curam quandam præcipuam eum gerere ſignificatur; hinc Heſiodus eum, *pecus omne in ſtabulis, animo volenti augere*, declarat; *boum armenta, caprarum, oviumque lanigerarum greges* [q]. Pauſanias item ſtatuam ejus æneam, in via qua ad Lechæum Corintho ibatur, poſitam eſſe dicit, cui *aries appoſitus erat, quod greges ille omnium maxime tueri atque augere exiſtimabatur* [r].

Gallum denique Gallinaceum, veluti excubiarum et vigilantiæ ſymbolum, ei quoque ſacrum eſſe cognovimus [ſ]; ut avis ſcilicet hujus admonitu, negotiatores præcipue omnes intelligerent, ſe non ſine induſtria ac vigilantia Mercurium ſibi propitium reddere, lucrumque acquirere poſſe. Lapis ipſe Amethyſtus eſt; quem quidem nonnulli, ingenium induſtriamque hominibus addere crediderunt [t]. Atque ob eam fortaſſe cauſam a priſcorum iſtorum ſuperſtitione haud alienam, Mercurium noſtrum in hac potiſſimum gemma inſculptum eſſe conjicere licet.

SECT. X.

GEmma decima, miram quandam figurarum quaſi confuſionem exhibet; hominis videlicet faciem, ſeu perſonam Scenicam, Pavonem, Sceptrum, Elephantem: quid autem Elephas proboſcide ſublatum teneat, haud mihi ſane perſpicuum eſt. Huic autem Gemmæ, alias quaſdam conſimiles prorſus, et in eruditorum Muſeis aſſervatas, et in libris ſæpe deſcriptas animadverti: quæ quidem omnes ſymbolicum, ut aiunt, ſeu ænigmaticum quiddam continere, judicantur. Faciem certe illam, viri docti Socratis effigiem eſſe declarant: eamque cum figuris iſtiuſmodi conjunctam, nonnulli in Amuletorum eorum numero reponunt, quæ vim quandam magicam habuiſſe credebantur[u]. Alii vero, quod probabile magis videtur, Gemmas hujus generis omnes ad Socratis memoriam celebrandam, inventas eſſe, atque in ejuſdem honorem, in anulis geſtari ſolitas, exiſtimant[w].

---

[q] Εσθλη δ' ἐν σταθμοῖσι σὺν Ερμῆ ληΐδ' ἀέξειν
Βουκολίας τ' ἀγέλας τ' καὶ αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν,
Ποίμνας τ' εἰροπόκων οἴων, θυμῷ γε θέλουσα.
Theog. 444.

[r] Ὅτι Ἑρμῆς μάλιστα δοκεῖ θεῶν ἐφορᾶν καὶ αὔξειν ποίμνας, &c. l. 2. c. 3.

[ſ] Vid. Montfauc. Antiqu. Vol. 1. l. 3. c. 8.

[t] Vid. Gemmar. Hiſt. edit. ab Adrian. Toll. l. 2. c. 34.

Etenim caput iſtud *calvum fronte turgida, naſo ſimo, aſpectuque taurino*, Socratis proculdubio imaginem præ ſe fert; quem Silenis Satyriſque perſimilem accepimus[x]. Quippe de hae Socratis perſona, Alcibiades, in Sympoſio Platonis, ſermonem ſatis longum habere fingitur, in quo, cum permulta in vultum ejus Silenicum jocatus eſſet, ita demum progreditur; "at vero neſcio, Convivæ, an aliquis unquam veſtrum imagines eas "perſpexerit, quæ in animo ejus, ſeria tractantis et ſeſe penitus aperientis, lateant: ego profecto eas aliquando perſpexi, "quæ mihi quidem ita divinæ atque aureæ, et pulchræ mirabileſque viſæ ſunt, ut quicquid jubeat Socrates, id illico faciendum ſtatuerim[y]." Quocirca haud ſcio, an lapidis hujus figuræ ad eum ipſum ſermonem reſpectum aliquem habeant; quodque Alcibiades ibi verbis, hoc idem, Gemma noſtra figuris indicare reperiatur.

Etenim vultus iſte, ut dixi, Silenicus, os Socratis exhibet; reliquæ vero figuræ, *imagines eas divinas pulchraſque*, quæ in animo ejus latuiſſe dicuntur. Pavo nempe, avium pulcherrima, virtutis ejus pulchritudinem denotat; Sceptrum ejuſdem majeſtatem, dignam quæ omnibus imperet; Elephas, eam animi firmitatem roburque, quo cunctis mortalibus præſtitit. Atqui hac pariter ratione, Gemma hæc Philoſophica, non ad Socratem modo celebrandum, ex quo omnes Philoſophorum ſectas manaſſe conſtat, ſed ad Stoicorum doctrinam illuſtrandam præcipue ſpectare judicetur; qui ſapientem ſcilicet, omnibus virtutibus artibuſque inſtructum, ſolumque formoſum, fortem, ac Regem etiam eſſe, prædicabant.

---

[u] Vid. Gemm. Antich. Da Roſſi. Vol. 2. Gemm. 20, 21.

[w] Vid. Jo. Chifflet. de Gemmis Socratis imagine cælatis. p. 18.

[x] Platon. Oper. Vol. 3. p. 216, 221. Edit. Par.

[y] Ibid. p. 216.

Si dives, qui ſapiens eſt,
Et ſutor bonus, et ſolus formoſus, et eſt Rex.
Sapiens operis ſic optimus omnis
Eſt Opifex: ſic Rex ſolus[z].

Vultus enim Socratis, ſapientem indicat: quem pavo formoſum; elephas, fortem, ſceptrum, Regem eſſe declarat.

SECT. XI.

GEmma item undecima, prorſus ſymbolica eſt; in qua primum globulum; deinde ex eo quaſi exſurgens, Cornu-copiæ; tum Gallum, in fruges a cornu oblatas invadere paratum, videmus. Hæc eadem Galli imago in aliis etiam gemmis ſæpe inſculpta reperitur; gubernaculo interdum, aut cornu-copiæ inſiſtens; aut Mercurio, ut modo oſtenſum eſt, tanquam ſymbolum adjuncta. At vero ſoli quoque perinde ac Mercurio, Gallus ſacer erat, *quia ſolis nempe ortum cantu nuntiat*[a].

---

[z] Hor. Sat. l. 1. 3. v. 124, 132.

[a] Ἡλίου δὲ ἱερόν φασιν τὸν ὄρνιθα, καὶ ἀγγέλλειν ἀνιέναι μέλλοντος τοῦ ἡλίου. l. 5. c. 25.

Quinetiam Gallum, noctem explaudentibus alis,
Auroram clara conſuetum voce vocare[b].

Hunc enim Veteres naturæ ſolaris, omnium animalium maxime, participem eſſe crediderunt; *excitandis in opera mortalibus, ſomnoque rumpendo genitum*; *qui nec ſolis ortum*, uti Plinius ait, *incautis patitur obrepere*[c]. Hinc effigiem ejus, tanquam excubiarum ſymbolum, Mercurio ſupra adjunctam vidimus, ut Mercatores, in lucro conficiendo, vigiles atque alacres eſſe admonerentur: cui conſentaneum ſane illud eſt, quod ab hac etiam gemma indicari videtur; ſcilicet e *terra, quam globulus iſte denotat, nonniſi hominum induſtria ac vigilantia, abundantiam, frugumque copiam procreari poſſe.*

SECT. XII.

DUodecima, Caput nobis ſane incognitum, in lapide opaco, ſalignei coloris, inſculptum, offert: figura autem ipſa, ex capitis ornatu, et ſculpturæ genere, Ægyptiæ cujuſdam mulieris, ſeu Deæ potius, effigiem eſſe conjicerem: Etenim ſimulachra Iſidis nonnulla, opere Ægyptiaco, et eodem plane ornatu, a Kirchero exhibita cernimus[d].

SECT. XIII.

DEcima tertia, opere etiam antiquo atque Ægyptiaco eſſe apparet: at quale nobis alitis genus exhibeat, haud ita certum eſt. Eandem plane avis formam, in Obeliſco Pamphilio, ſæpius deſcriptam animadverti; quam Kircherus, Hieroglyphicorum iſtorum interpres diligentiſſimus, Ibim cirratam appellat[e]. Noſtra autem avis ex anſerum potius, anatumve genere eſſe videtur: ſculptorque profecto, ſi Ibim in animo fingendam habuerit, nonniſi imperite aut negligenter eam finxiſſe cenſendus eſt.—Avis autem ipſa, floreſque itidem hinc inde enaſcentes, item ac in alio lapide ſupra vidimus, e vena, ſeu zona candida, cui Achates nitidus ſubſtratus eſt, exſculpuntur. At vero in gemmis ejuſmodi omnibus, ſculptoris ingenium coarctari, nec quid ipſe velit, ſed quid venæ iſtius natura admittat, fingere omnino, neceſſe eſt: ita ut opus ipſum, venuſtum licet ac ſpecioſum, raro tamen exquiſitum, atque omni parte, abſolutum reperiamus.

---

[b] Lucret. l. 4. 714.
[c] Hiſt. N. x. 21.
[d] Vid. Kirch. Oedip. Ægypt. Tom. 3. 498, 500.

SECT. XIV.

GEmma decima quarta, Lapis Chalcedonius eſt, cærulei coloris, rotundus, globulique ad inſtar dimidiati convexus, cui litteris majuſculis ac quadratis inſcribitur, TRIVMPHVS QVADORVM; quem, Romæ olim repertum, una cum reliqua mea rerum veterum ſupellectile, inde deportandum curavi: in pomparum ſane Triumphalium deſcriptionibus, phalerarum interdum *frenorumque equinorum, auri bullis, gemmiſque nitentium*, ſplendor luxuſque a ſcriptoribus celebrantur;

> *Dumque auro phaleræ, gemmis dum frena renident*[f].

Atque hinc lapidem noſtrum ad frenorum Triumphalium ornatum pertinuiſſe conjicio: nam ad triumphi uſum aliquem adhibitum eum fuiſſe, inſcriptio declarat; atque ad frenorum præcipue decus, res ipſa oſtendere videtur. Quippe in foramen, quod, per centrum lapidis ductum, vacuum jam apertumque reſtat, claviculum olim quendam, capite forſitan aurato, inſertum fuiſſe, arbitror, qui lapidem ipſum cum frenis connecteret [g].

---

[e] Obeliſc. Pamphil. p. 489, 495.

[f] Claudian. Epig. 20. de zona equi Regii.

M. Aurelium, de Marcomannis, Sarmatis, Vandalis, Quadiſque etiam triumphaſſe legimus [h]: At vero in numiſmate quodam antiquo, maximi moduli, Numerianum, Quadrigis Triumphalibus vectum cernimus, cum hac eadem epigraphe, TRIVMPHVS QVADORVM [i]. In cujus triumphi memoriam, numiſma iſtud percuſſum fuit: atque in ejuſdem etiam ornatum, lapidem olim noſtrum comparatum eſſe probabile eſt: quod litterarum item ipſarum forma, a perfecta ſcribendi ratione nonnihil immutata, atque iſtorum temporum conſuetudini accommodata confirmare videtur.

TABULA XXII.

HÆC Mumia Ægyptiaca, de qua jam dicturus ſum, ab homine nobili, Georgio Townſhend, navis bellicæ in claſſe Regia præfecto, in Angliam haud dudum deportata, atque Academiæ Cantabrigienſi donata eſt. Qui nativa quadam in hanc Academiam benevolentia commotus, nihil habuit antiquius, quam ut hoc inſigne κειμηλιον, ac vetuſtatis fere ultimæ monumentum, tanquam perpetui hoſpitii pignus, in ea muſarum ſede collocaret, quam pater ejus, vir ſummus, beneficiis ornaverat; quamque fratres, fratrumque filii, moribus, ſtudiis, exempliſque jam præſentes ornant.

---

[g] Sed ad alium quoque uſum hic lapis adhiberi potuiſſe videtur; ſcilicet, ut ſtatuæ fortaſſe alicujus in triumpho portatæ paludamentum aut lacernam fibulæ vice humero annecteret: quod quidem gemma aliqua aut lapide pretioſo fieri ſolitum eſſe, ex ſtatuarum militarium ornatu conjectare licet.

[h] Jul. Capitolin. c. 17.

[i] Vid. Numiſm. Max. Mod. 246.

In hac autem Mumia deſcribenda, mihi quidem, neque de antiquo iſto cadavera condiendi ritu, neque de hodierno eorundem ſtatu, neque de cryptis eis ſubterraneis et mirabilibus, in quibus olim repoſita, atque hodie reperta ſunt, diſſerere propoſitum eſt: etenim iſta omnia a rerum Ægyptiarum interpretibus, atque a peregrinantibus præſertim accurate deſcripta, et in multis libris expoſita habemus; ad quos lectorem omnino referendum cenſeo[k]. Quamobrem nihil mihi aliud jam relictum videtur, quam Mumiæ noſtræ effigiem, atque ornatum hominibus curioſis in conſpectum dare, et quicquid in ea ſingulare, præcipuumque fuerit, illud quam breviter exponere atque illuſtrare.

Hæc igitur Tabula, Mumiæ thecam ſeu loculum, figuris quibuſdam ſymbolicis atque Hieroglyphicis pictum exhibet: in quo cadaver ſcilicet, Ægyptiorum more, bitumine, balſamis, atque aromatibus conditum, repoſitum erat. Loculus vero ipſe nihil fere, a ceteris ejuſdem generis diverſum, nobis offert. Ex duabus ligni Sycaminei partibus conſtat; utriſque in eum modum artificioſe excavatis, ut inter ſeſe deinde conjunctæ, cadaveris ipſius formam ac magnitudinem juſtam capere, et ab omni æris acceſſu ac damno conſervare poſſent. Atque hoc loculorum genus, ob conficiendi pingendique artificium, omnium ſane pretioſiſſimum, nec niſi nobilioribus ditioribuſve dicatum traditur.

Hujuſmodi vero loculi, non ad corporis modo figuram excipiendam intus accommodati, ſed extra quoque ad defuncti ipſius effigiem ac ſimilitudinem ita conformati erant, ut facies ex ligno effictа, et coloribus item picta, germanam ejus imaginem præ ſe ferret. Quos quidem loculos, ita ornatos atque inſtructos, Ægyptii non modo in ſepulchris magnifice exſtructis, ſed domi etiam in conclavibus ad eum uſum conſecratis, ordine quemque ſuo erectos, ad parietem collocare conſueverunt[l]. In quo munere fungendo, duplicem illi ſane finem ſpectaſſe videntur; primum, ut debitos mortuis honores cultumque præſtarent; deinde ut ambitioni et familiæ ſplendori conſulerent; ac vetuſtas haſce majorum ſuorum imagines, ſeriemque longam ac nobilem poſteris traderent[m].

---

[k] Vid. Kircher. Oedip. Ægypt. Vol. 3. p. 387. Syntagm. XIII. De Mumiis.— it. Itinera Petri de Valle, Thevenot, Le Brun, Shaw, Pocock, Perry——

In his defunctorum imaginibus, ſeu Mumiarum loculis quiddam oblongum atque acuminatum, barbæ quaſi loco, a mento plerumque pendere videmus: quod tamen a nullo, quantum memini, Mumiarum harum interprete, vel explicatum, vel omnino memoratum animadverti. Quicquid autem fuerit, non ad barbam certe exprimendam adhibitum eſſe, liquet; quia figuris promiſcue omnibus, cum fœminarum et virorum, tum Deorum etiam, hoc idem affixum reperitur: quod quidem non niſi ſymboli vice appoſitum eſſe, ſenſumque aliquem reconditum habuiſſe, perſpicuum eſt. Bonannius, auctor ſane eruditus, qui Ægyptiorum Idolorum figuras quaſdam, hoc eodem ſymbolo inſtructas, expoſuit, illud Perſeæ folium eſſe dicit[n]; arboris, Ægypto propriæ, ac Iſidi præcipue conſecratæ; atque ad omnes ideo ſolennitates pompaſque ſacras adhibitæ: cujuſque effigiem in obeliſcis, menſa Iſiaca, reliquiſque Ægyptiorum monumentis ſæpiſſime inciſam, obſervare licet[o]. *De ſtirpibus Ægyptiis*, inquit Plutarchus, *Perſeam omnium*

---

[l] Ὁι προσήκοντες ποιεῦνται ξύλινον τύπον ἀνθρωποειδέα, ποιησάμενοι δὲ ἐσεργνῦσι τὸν νεκρὸν, καὶ καταχλῄσαντες οὕτω, θησαυρίζουσι ἐν οἰκήματι θηκαίῳ, ἱστάντες ὀρθὸν πρὸς τοῖχον. οὕτω μὲν τοὺς τὰ πολυτελέστατα σκευάζουσι νεκρούς. Herod. l. 2. c. 66. Condiunt Ægyptii mortuos et eos ſervant domi. Cic. Tuſc. Quæſt. 1. 45.

[m] Διὸ καὶ πολλοὶ τῶν Αἰγυπτίων ἐν οἰκήμασι πολυτελέσι φυλάττοντες τὰ σώματα τῶν προγόνων κατ᾽ ὄψιν ὁρῶσι τοὺς γενεαῖς πολλαῖς τῆς ἑαυτῶν γενέσεως προτετελευτηκότας. &c. Diod. Sic. l. 1. p. 82.

[n] Muſeum. Kircher. p. 34.

[o] Vid. Kircher. Oedip. Ægypt. Vol. 3. p. 129, 130. it. Obel. Pamphil. p. 360, &c.

maxime Iſidi ſacram eſſe aiunt, propterea quod fructus ejus cordis, et folium linguæ ſpeciem præ ſe ferat[p]. Si hæc igitur rei interpretatio admittenda eſt, haud alio conſilio Ægyptii, folii hujus figuram Mumiis hiſce affixiſſe, videntur, quam ut Iſidem facilius conciliarent, atque ad cadaverum horum tutelam allicerent.

Ex hac loculorum ornandorum inventione, et ſculpturæ et picturæ origo deducta, atque in alias gentes derivata eſſe videtur: apud Græcos enim, quos artium ſuarum primordia ab Ægypto duxiſſe conſtat, ſtatuæ iſtæ Hermææ, omnium proculdubio antiquiſſimæ, quarum nonnullæ etiam hodie extant, ad loculorum horum formam modulumque plane effictæ eſſe apparent: Quippe nihil aliud erant, ac Deorum hominumve capita, trunco ligneo aut lapideo oblongo, atque a ſummo ad imum leniter decreſcenti, impoſita. At vero Græcorum ingenium acre intra has ſculpturæ anguſtias haud diu coarctari potuit; ſed naturam ducem ſequens, reliqua quævis corporis membra, e marmore pariter fingere, atque ad vitæ ipſius ſimilitudinem, omneſque ejus actiones et geſtus ſummo artificio accommodare cœpit. Ægyptii contra, rei licet hujus inventores, at priſcam tamen eam artis ſimplicitatem, vix unquam penitus deſeruiſſe videntur: nam etiamſi corporis humani formam, membris ſuis omnibus inſtructam, perinde ac Græci, e ligno aut lapide accurate ſatis exprimere didiciſſent, at geſtum ei liberum aliquem aut naturalem haudquaquam tribuere potuerunt; ſed Mumiarum ſuarum exemplaria in animis uſque tenentes, ſtatuis ſuis brachia, lateribus fere adhærentia, pedeſque prorſus conjunctos, et quaſi faſciis colligatos, affingere ſolebant.

Mumiæ hujus figura eadem prorſus eſt, ac reliquarum omnium, quas in libris paſſim deſcriptas videmus. Siquidem aſphalto, balſamis, aromatibuſve condita, et multiplici linteorum, faſciarumque ordine, alio ſuper alium, a capite uſque ad pedes involuta erat; atque hæc deinde involucra, alio rurſus velamine, ſive tunica linea, puchre depicta, et Deorum, beſtiarum, ſymbolorumque formis variis ornata, penitus obtegebantur. Dentes ejus omnes in maxilla ſuperiore firmiter adhuc inherentes reperiuntur: quod vero ſingulare et prodigii fere loco habendum, anteriores ſeu inciſores, non acuti illi quidem atque ad incidendum apti, ſed perinde ac maxillares, lati plane atque obtuſi ſunt. At vero ex hoc omni apparatu, ac condiendi diligentia, nihil fere intra loculum jam integrum reſtat, præter calvariam et oſſa, atque integumenti ſuperioris particulas quaſdam, imaginibus pictis inſignitas, quas in proxima Tabula deſcriptas damus. Reliquæ quævis corporis partes, una cum balſamis, faſciis, involucris, vetuſtate jam abſumptæ, atque in pulverem ac putredinem redactæ ſunt. Egregium ſane vanitatis Ægyptiæ monumentum! quæ cum Deo ipſo pugnare, artiſquè inventa naturæ legibus opponere; ac corpus humanum e pulvere excitatum, atque in pulverem reverſurum, ab interitu conſervare præ ſe ferebat.

---

[p] De Iſid. et Oſirid. p. 378. c.

Amicus meus, ſupra laudatus, Guilielmus Heberden, M. D. hanc cadaverum Ægyptiorum conditurам, haud tanto quidem artificio, neque tanto aromatum apparatu, quanto curata eſſe traditur, revera effectam fuiſſe putat. Etenim ſi vel aromata, priſcis iſtis temporibus cognita, vel cadavera ipſa, Mumiaſve, ut dicuntur, conſiderabimus, ſimpliciorem quandam operis peragendi rationem, nec niſi pauca admodum medicamenta adhibita eſſe intelligemus.

Maxima unguentorum veterum pars nihil aliud erant, ac olea, in quibus herbæ ſeu flores odoriferi infuſi eſſent: quæ, ad cadavera Ægyptiorum more condienda, haud multum valere potuerunt. Aromata vero, pretioſa ſaltem iſta, atque ad hunc uſum accommodata, in India ſolummodo ultima naſcuntur, nec in Ægyptum facile deportari poſſent: quorum pleraque etiam veteribus iſtis incognita eſſe apparent, propterea quod nec a Medicis nec Phyſicis antiquis memorata ſint. Diodorus tamen Cinnamomum in hoc condiendi munere uſurpatum eſſe ſcribit[q]: at Cinnamomum, Cleopatræ ætate, inter pretioſiſſima gazæ regiæ *κειμηλια* recenſitum, atque una cum auro, ſmaragdis, et margaritis, a Regina iſta jam moritura, in monumento ſuo repoſitum legimus[r]: quod uſum certe ejus rariſſimum, nec Pollinctoribus iſtis familiarem fuiſſe, oſtendit.

Myrrha tamen, quæ in Æthiopia, atque Opobalſamum, quod in Arabia naſcitur[ſ], in hoc fortaſſe ritu uſurpari poſſent. Sed Opobalſamum, ob raritatem pretiumque ejus, haud magna copia, aut vulgo adhibitum eſſe, probabile eſt. At vero ex Mumiis omnibus, quæ jam extant, quæque a peregrinantibus deſcriptæ ſunt, perſpicuum fere videtur, nullum omnino medicamenti genus, præter Aſphaltum, ſeu bitumen merum, quod in multis lacubus fluitans reperitur, vel reſinam quandam e cedro ſtillantem, in hac conditura locum habuiſſe.

Joannes Nardius, medicus in primis celebris, quum multas hujuſmodi Mumias, e faſciis ſuis evolutas, examinaſſet, ac ſumma diligentia diſſecuiſſet, ſe nihil prorſus, præter Gummi ſeu Aſphalti glebulas quaſdam concretas inveniſſe dicit[t]. Neque aliud item quidquam Pocockius noſter, peregrinator curioſus atque eruditus, in Mumiis iſtis, quas perſcrutatus eſt, ſe animadvertiſſe declarat[u]. Mumiam denique noſtram, pretioſiſſima licet condiendi ratione curatam, nullum tamen aromatum, odorumve genus, præter bitumen merum redolere aut exhibere invenimus.

---

[q] L. 1. p. 82. Edit. Hanov.

[r] Plutarch. in Vit. M. Anton. p. 950. Edit. Pariſ.

[ſ] Vid. Proſp. Alpin. de Balſamo.

[t] Vid. Kircher. Oedip. Ægypt. Vol. 3. p. 397.

[u] Vid. Pocock Travels l. 5. c. 5.

Quod vero de Cadaveribus hiſce Diodorus ſcribit, nimirum tanto ea artificio ſemper condita fuiſſe, ut *priſtinam hominis cujuſque effigiem ſpeciemque ſingula retinerent, et vel palpebrarum ac ſuperciliorum pili integri manerent*[w]; nequaquam verum eſſe poteſt, ſed de loculo potius cadaveris quam de cadavere ipſo intelligendum; quippe cadaver multiplici faſciarum integumento, a capite uſque ad pedes ita penitus involutum erat, ut nulla ejus pars omnino conſpici poſſet.

Herodotus contra, hanc rem ita plane, ut geſta erat, exponere videtur. "Cerebro enim viſceribuſque detractis, cadaver per "dies ſeptuaginta nitro penitus merſum jacuiſſe dicit; carnem"que ita omnem a nitro iſto maceratam abſumptamque eſſe, "ut nihil præter cutem atque oſſa relinqueretur[x]." Quippe nitri ejus Ægyptiaci naturam, eandem eſſe cognovimus ac ſalis ejus, quod ex herbarum peruſtarum cineribus effici ſolet, cujus ea quidem vis eſt, ut carnem facile quamlibet abſumere queat. Atque hoc profecto ex Mumiis, quæ jam reſtant, omnibus, verum eſſe confirmatur; quæ nihil aliud eſſe videntur, ac germani hominum ſceleti, piceo quodam liquore aut bitumine illiti, faſciiſque pice item illitis involuti[y].

Atque hinc perſpicere licet, quam vana ac futilis, de virtutibus Mumiarum medicis, opinio iſta fuerit, qua tanquam omni aromatum genere onuſtæ, ac medicinarum omnium valentiſſimæ per gentes venditabantur. Qua quidem fama inductus

---

[w] Vid. Diodor. ibid.

[x] L. 2. c. 86. Ed. Lond.

[y] Vir eruditus atque ingenioſus, Tho. Shaw D. D. *nihil fere carnis, partiumve muſcularium* in Mumiis hiſce reperiri dicit. See Travels into Ægypt. p. 424.

Gallorum Rex, Franciſcus primus, nullum unquam iter, abſque Mumiæ fruſtulis quibuſdam, ſuſcepiſſe fertur [z].

Quinetiam Herodotus, cadaverum horum cerebrum per nares extrahi ſolitum, ſcribit [a]. Sed haud tantam a Pollinctoribus iſtis diligentiam, corporiſque lacerandi religionem adhibitam eſſe, credibile eſt. Nam Mumiæ noſtræ caput abſciſſum fuiſſe apparet; cujus ea pars, quæ cum collo ac vertebris conjuncta fuiſſet, gypſo jam penitus oblita reperitur: quumque cerebri adeo per occipitis foramen extrahendi, via longe commodior data eſſet, hanc eos potiſſimum ſecutos eſſe, veriſimile videtur. Calvaria item, quæ medicamentis repleri ſolita traditur, in hoc tamen cadavere vacua prorſus relicta eſt.

Pocockius, faſcias Mumiarum lineas, *putridas ſemper atque aduſtas* reperiri ait, idque *calidæ ſeu uſtivæ aromatum naturæ* adſcribit [b]; quæ tamen nullam iſtiuſmodi vim habere certiſſimum eſt. Hæc igitur faſciarum aduſtio ac putredo vel vetuſtati tribuenda, vel inde potius proveniſſe putanda eſt, quod in bitumen fortaſſe liquidum ac fervens immerſæ fuiſſent. Herodotus enim, faſcias haſce gummi illitas eſſe, narrat [c]. Attamen nonnullæ faſciarum noſtrarum particulæ, quæ intus, ut videtur, a bituminis iſtius vi ac calore remotæ latuiſſent, colorem adhuc priſtinum et nativum fere retinent.

Ob has potiſſimum rationes, Vir ille ingenioſus, quem honoris cauſa modo nominavi, Pollinctores Ægyptios, vafrum hominum genus, quo artem ſuam extollerent, de ſumptu ejus atque apparatu magnificentiora longe, quam res ipſa ferebat, prædicare ſolitos, exiſtimat.

---

[z] Hoffman. de Medicam. Officin.

[a] Herodot. ibid.

[b] Herodot. ibid.

[c] Vid. Pocock's Travels ibid.

TABULA XXIII.

IN hac Tabula, integumenti Mumiæ exterioris particulam, variis figuris ornatam, cernimus; quæ de pectore cadaveris ad genua pertinuerat; quæque a pulvere ac ſordibus purgata, coloribus adhuc vividis et quaſi recentibus niteſcit. In ſumma picturæ parte, cadaveris ſecandi et condiendi ratio a pictore quodammodo adumbrata eſt: in qua tamen Anubis, Ægpptiorum Deus, capite canino, medici partes agere, et ſecandi munus obire videtur. A ſiniſtro cadaveris latere, ut Diodorus ſcribit, *loco prius a ſcriba juxta ilia deſignato*, carnem *lapide acuto Æthiopico ſecare*, vel lege vel more conſtitutum erat[d]: atque in hac poſitura Anubis, manu jam ad ſecandum ſublata, depictus eſt.

Sed et menſa quoque, cui cadaver impoſitum eſt, itemque vaſcula iſta infra menſam poſita, in Deorum item formas, Canopi et Cercopitheci, efficta eſſe apparent: quibus figura etiam muliebris, hinc et inde adjuncta, Iſim fortaſſe ipſam, quaſi operis totius præſidem, denotat. Qua quidem figurarum deſignatione, hanc cadavera condiendi ac conſervandi artem, divinam plane eſſe, nec niſi Deorum inventioni attribuendam, indicari conjicio.

Quod autem memorabile magis videtur; inſtrumentum iſtud, quod Anubis, jam corpus diſſecturus, manu tenet, germanam lapidis ejus Æthiopici effigiem exhibet, quem, cultelli ſemper vice, ad hoc munus adhibitum eſſe legimus; cujus ſane formam a nullo, quod ſciam, auctore veteri deſcriptam habemus.

---

[d] Diod. Sic. l. 1. p. 82.

Hieroglyphicas figuras quod attinet, cum omnis earum intelligentia jam diu deperdita ac deplorata plane videatur, ignorantiam potius meam confiteri libet, quam aliorum conjecturas, ingenioſas licet, at vanas certe coactaſque adoptare. Illud ſolummodo veriſimile eſſe puto, quod a Kirchero, in rebus Ægyptiacis inveſtigandis, omnium diligentiſſimo, traditum eſt. Figuras videlicet iſtiuſmodi omnes, quales, ex utraque tabellæ hujus parte, in variis ordinibus ſive zonis collocatæ, ac ſibi mutuo obverſæ ſtant, Deorum illorum imagines eſſe, qui Averrunci præcipue, ſeu malorum propulſatores habebantur [e]; quorumque tutelæ Ægyptii mortuos ſuos potiſſimum commendare conſueverunt: quoſque flagellis propterea, laqueiſve inſtructos videmus, ut malos Dæmones, in defunctorum corpora inſultare conantes, vel abigere vel colligare poſſent [f].

SECT. II.

PRæter integumenti linei particulam iſtam modo deſcriptam, aliud quoque ejuſdem fragmentum reſtat, ad pedes fere Mumiæ pertingens, at unica tantum imagine inſignitum, quam in hac etiam Tabula expreſſam videmus. Hanc autem Oſiridis imaginem eſſe puto; quem, tanquam ſupremum mundi Opificem ac Rectorem ab Ægyptiis veneratum eſſe conſtat; ut globus; capiti ejus impoſitus, indicare videtur; quo quidem ſymbolo, in Obeliſco pariter Flaminio, Oſiris inſtructus reperitur[g]. Hujus igitur effigiem, ob eam, quam diximus, cauſam, in Mumiæ noſtræ integumento, atque auguſtiori ſane forma, depictam eſſe, credibile eſt; ut hunc quoque, ſummum Deum, perinde ac Numina iſta Averrunca, ad cadaveris cuſtodiam attraherent.

---

[e] Infra hanc Sex Averrunca Numina intra tres zonas ponuntur, quorum cuſtodiæ corpus commiſſum eſt; uti laquei, quos manibus tenent, quibus adverſarum poteſtatum vim ligare dicuntur, monſtrant, &c. Oedip. Ægypt. Vol. 3. p. 413.

[f] In imo figurarum harum ordine, duo canes flagellis inſtructi pinguntur; quos in alia item Mumia, eodem fere modo depictos Kircherus protulit, atque ita interpretatur. "In tertia zona, inquit, duo "canes occurrunt, flagellis inſtructi, qui"bus Anubici ſeu Mercuriales Genii in"dicantur, quorum vigilantiæ corpus "commiſſum indicabatur. De quibus, "in Obeliſco Pamphilio, conſule Hiero"grammatiſmum de cane." Kircher. Ibid. p. 416.

---

[g] Vid. Kircher. Oedip. Ægypt. Vol. 3. p. 236, 237.

DE
MEDICORUM
APUD
VETERES ROMANOS
DEGENTIUM CONDITIONE
DISSERTATIO;

CONTRA VIROS CELEBERRIMOS
JAC. SPONIUM & *RICH. MEADIUM*, M. D. D.
Servilem atque ignobilem eam fuiſſe
OSTENDITUR.

DE
MEDICORUM
APUD
VETERES ROMANOS
Degentium Conditione
DISSERTATIO, &c.

VESPERI nuper cum Amici aliquot in Bibliothecam meam pro more coiſſemus, ſermones cum familiares, tum eruditos etiam fortaſſe in noctem uſque producturi; cumque unà, pro copia illa quam Cantabrigia noſtra facilè ſuppeditat, ex ſingulis ferè Scientiis docti aliqui adeſſent; poſteaquam, ut in congreſſu ſolemus, novi quicquid vel in re literariâ vel publicâ evenerat, in commune ſinguli contuliſſemus; Medico quodam, qui ex Collegio Regali convenerat, viro in primis probo atque erudito, nonnulla fortè de Variolis apud nos tunc graſſantibus interrogato; paucisque inde de variâ curandi Methodo diſputatis; ad Medicinam ſenſim labi ſermo, inque Artis ipſius præmiis & honoribus, Collegiique præcipuè Londinenſis famâ & celebritate totus verſari cœpit.

Tum ego; quàm vero, inquam, diverſa eſt apud nos rei Medicæ facies, ac Romæ olim fuit, ubi ignobilis per tot ſecula, atque abjecta Ars ipſa jacuit, non niſi à Servis atque extremæ ſortis hominibus tractata; quamque tanquam illiberalem ac

Cive prorſus indignam, de Romanis quidem nemo attingere ſit dignatus? Hìc autem Medicus noſter ſubridens, haud credidiſſe ſe, inquit, priſca illa, ac obſoleta planè quorundam commenta fidem adhuc apud ullos invenire; quæ ſæpius confutata, doctorum plerique tanquam vana & futilia jam diu repudiaſſent; quæque *Meadius* ipſe, Medicorum longe Princeps, oratione quadam Londini haud dudum habitâ, mera eſſe opprobria demonſtraverat, omnemque illam ſervitutis infamiam à *Medicis* prorſus in *Chirurgos* amoverat.

Meadius Medicorum Princeps!

Ego vero, Meadii licet Autoritate gravitèr commotus, cujus quidem Orationem necdum videram, ne tamen quæ dixeram, temerè planè, nulloque Auctore effutiſſe viderer, haud deſtiti alia ſane multa in eandem ſententiam diſſerere, & nonnulla Veterum teſtimonia, quæ memoriæ tunc ſuppetebant, plura etiam ex ſchedulis pollicitus, ad cauſam, quam ſuſceperam, confirmandam adducere: neque dicere dubitavi, *Meadium* ipſum duplicitèr planè labi videri; primùm, quòd *Medicos olim Romæ liberos eſſe & ingenuos*; deinde, quod *Chirurgos à cæteris Medicis diſtingui* omnino & *ſegregari* putaret; cum Utroſque communi cum nomine, tum conditione apud Veteres Romanos uſos ſemper eſſe certiſſimum eſſet.

Producta adeo paulatim hac noſtrâ diſputatione, & familiaritèr admodum, ut inter Amicos, ultro citroque pluribus verbis agitatâ; interfatus demum *Juris Civilis Profeſſor Regius*, Vir ſummâ modeſtiâ, parique eruditione; mihi ſe planè aſſentire dixit; propterea quod apud Veteres Juriſperitos in *Servorum familiis Medicos ſemper recenſeri* animadvertiſſet; [a] quibus tamen

Juris Civilis Professor.

Medici semper in Servorum familiis.

---

[a] Servis autem & Ancillis majoribus decem annis, ſi ſine arte ſint, viginti ſolidis æſtimandis; ſin autem Artifices, ad triginta ſolidos æſtimatione eorum procedente. Notarios quinquaginta ſolidos æſtimari, Medicos autem & Obſtetrices ſexaginta. l. 3. Cod. Commun. de legat. &c.

is honos habitus; ut in *Servis familiam ducerent*; ac in Mancipiorum venditionibus cæteris omnibus *pluris æſtimarentur*. *Chirurgos* autem quod attinebat; haud credere ſe, a *reliquis Medicis* antiquitùs eos ſejungi; at contra; quaſi ii potius pro Medicis ſoli eſſent habendi; non meminiſſe aliam in Jure Civili Medicorum fieri mentionem[b], ac eorum, qui *manu curare*, ſeu *ſecare* conſueverint.

Chirurgi pro Medicis Solis habendi.

Bakerus denique noſter, qui colloquiis hiſce noſtris, non intereſſe ſolum, ſed pro illa, qua præſtat omnibus, Antiquitatis cognitione, præeſſe etiam ſolebat; cum opinioni meæ, ſuæ etiam ſententiæ pondus, tanquam cumulum quendam adjeciſſet; tum inſtare omnes; ut hanc totam quæſtionem, levitèr jam ac fortuitò inchoatam, accuratiùs ipſe tractandam atque ad finem perducendam ſuſciperem; quæque memoritèr tunc diſputaram, quæque ex ſchedulis plura promiſeram, in ordinem, quam primùm per otium liceret, redigerem, atque alio aliquo conventu noſtro recitanda proponerem. Horum itaque Autoritati obſecutus, ea omnia, quæ ad hanc cauſam pertinere, totamque complecti videntur, collegi ſtatim, atque in hanc, quæ ſequitur, perpetuæ diſſertationis formam conjeci.

Medendi Ars minùs exculta.

Apud veteres Romanos Medendi artem non ſolum minùs excultam, ſed ne cognitam quidem eſſe, ex Monumentorum omnium ſilentio ſuſpicari fas eſt. Cum enim alia omnia, quæ ad vitam, cultumque civilem pertinent, accurate legibus deſcripta, atque egregie ſint conſtituta; nihil tamen in omni Civitatis temperatione, de Medicina unquam, vel à Regibus, vel à Conſulibus inſtitutum, aut præceptum reperitur: Nec per plura deinceps ab Urbe condita ſecula, ullius unquam Medici fama, nomenve memoriæ traditur; vel artis quidem ipſius ulla ferè à Scriptoribus fit mentio. Neque mirum ſane raram ibi rei fieri mentionem, cujus rarum fuiſſe uſum neceſſe ſit; apud homines ſcilicet, ſumma temperantia educatos, ſummiſque laboribus exercitatos; quorum valetudini, uti ait *Valerius Maximus*[c], quaſi *quædam mater erat frugalitas, inimica luxurioſis epulis.* Eadem quippe cauſa, nimirùm vitæ victûſque tenuitas, Urbem & Medicis & Morbis ſimul vacuam ſervabat; dum *illos* nec præmiis, nec quæſtûs ſpe ulla allicere paupertas civium valebat; atque *his* parca illa vivendi ratio omnem quaſi materiam præcidens, medendi planè uſui ſuperſedebat. Nobilium interea plerique valetudinis tuendæ diſciplinam quandam in ſuâ quiſque familiâ inſtituiſſe videntur, ut *Cato Senior* apud Plutarchum[d], cum magno Medicorum omnium contemptu, gloriatur, ſe oleribus, carnibuſque ad concoquendum facilioribus, ſuam ſuorumque valetudinem conſervare ſolere.

---

[b] Si Medicus Servum imperitè ſecuerit, vel ex locato, vel ex lege Aquiliâ competere Actionem. l. 7. §. f. ad leg. Aquil.

In ſuâ quiſque Familiâ.

In hoc rerum ſtatu Rempublicam ſine Medicis ad ſexcenteſimum uſque annum floruiſſe narrat[e] Plinius; qui tamen haud ita accipiendus eſt, quaſi neminem omnino per tot ſecula Medicinæ operam dediſſe aſſeruiſſet; quum Medicos, qualeſcunque tandem ii fuerint, diu ante Romæ extitiſſe, & multi Auctores ſint[f], & ipſe quidem *Arcagathum* quendam artem ibi antea exercuiſſe meminit[g]: itaque hoc ſolum ſignificaſſe intelligendus eſt; nullum illis temporibus Romanos habuiſſe Medicum, qui artis peritiâ, vel nominis famâ inclaruerit; artemque ipſam interea jacuiſſe penitùs, nullo loco aut honore habitam, nec niſi à Servis & extremæ ſortis hominibus adminiſtratam: quos fere omnes à Græcis, (qui magnam Italiæ partem, Siciliamque tunc omnem tenebant) aut bello captos, aut pretio emptos, aut fugitivos denique eſſe veriſimile eſt: quum in Græcia Medicorum ſervulos, dominos confectando[h], ægroſque ſimul obeundo, Medendi ſæpe artem didiciſſe, atque exercuiſſe certiſſimum eſt.

---

[c] Lib. 2. c. 5.

[d] In vita Cat.

[e] Hiſt. Nat. l. 29. c. 1.

[f] Peſte Romæ circiter annum 301. graſſante, Medicos ægris curandis non ſufficere meminit Dion. Halicar—it. Plaut. Rud. 5. 3.
GR. Quid tu, num Medicus quæſo es?
LA. Immo edepol una litera plus ſum, quam Medicus. GR. Tum tu Mendicus es.

[g] Ibid.

A, ſervis et extremæ ſortis hominibus. Bello captis pretio emptis, aut ſugitivis

Horum autem nonnulli libertatem tandem, ſeu Dominorum gratiâ promerenda, ſeu pretio dato adepti, officinas plerumque ad operam ſuam, artiſque inſtrumenta publicè vendenda conducere ſolebant, quas *Medicinas* Plautus vocat[i]; quaſque perinde ac tonſtrinas, conciliis, cœtibuſque otioſorum frequentari ſolitas docet. Servos enim ex pecunia illa, quam de demenſo ſuo parcendo, geniumque defraudando corradere ſæpe ſolebant, libertatem haud rarò emiſſe conſtat[k]: qui verò artem ullam habebant, omnium certè facillime peculium ſibi, lucrumque quoddam adventitium, Dominorum conceſſu, ad emendam libertatem conficere poterant: quod Medicis præcipuè accidiſſe, dum eos tamen inter infimos hominum recenſet, indicare videtur Seneca[l]: qui divitias in bonis nequaquam eſſe numerandas contendit, propterea quod ejuſmodi bona *in Arte medendi humillimis quibuſque* contingere videmus.

Plautus.
Tonstrinas.
Seneca

Quum verò Græcia tandem, & Aſia ſubactæ, Imperioque adjectæ eſſent; tum luxu inde omnia, deliciiſque Romæ diffluere; Græcorumque artes in Urbem introductæ priſcam illam vitæ diſciplinam ſimplicitatemque omnem corrumpere; Principeſque viri tum primùm Græculos undique ſervos, artibus inſtructos, & Medicinæ præcipuè peritos, qui et valetudini &

Principes, græculos ſervos, Artibus Medicinæ peritos.

---

[h] Κατ᾽ ἐπίταξιν τῶν δεσποτῶν καὶ θεωρίαν καὶ κατ᾽ ἐμπειρίαν τὴν τέχνην κτῶνται ὑπηρέται τῶν Ἰατρῶν. Plato l. 4. 834.

[i] Amphit. 4. 1.

[k] Plaut. Rud. 4. 2. It. Senec. Ep. 80.

[l] Senec. 85.

luxuriæ ſimul miniſtrarent, conquirere ſibi ac omni ſtudio coemere cœperunt: neque Procerum poſthac Divitumve domus ulla *Medicis Servis* vel pluribus vel ſingulis ad minimum caruiſſe videtur; quorum deinceps in manibus Medendi Ars, ac provincia ferè omnis verſata eſt. Medicorumque adeò numerus dum in Urbe magis indies creſcebat, raró tamen adhuc de Medicina ipſa, ejuſve Profeſſoribus, tanquam de re humili & abjecta nimis, apud Auctores mentio occurrit: neque præter *unum Arcagathum* cuivis unquam Medico ante J. Cæſaris ætatem, jus Civitatis datum reperio: primuſque, ut opinor, circum idem tempus *Aſclepiades quidam*, Medendi arte celebris fuit; qui cum Rhetor primò fuiſſet[m] nec remedia noſſet, quum Rhetoricam tamen ſibi minus quæſtuoſam inveniſſet, ut ſagaci erat ingenio, ad Medicinam ſe convertit, ac famam inde magnam atque autoritatem adeptus, in Ciceronis deinceps amicitiam & familiaritatem[n] eſt receptus.

Nec Proceres nec Dives Medicis Servis caruerunt.

Arcagathum.

Asclepiades Rhetor ad medicinam se convertit.

Romæ interea tanto ſemper in dedecore ars tota jacuit, ut *ſolam eam Græcarum artium*, magno licet fructu propoſito, *Romani gravitate ſuâ indignam*[o] judicarint; *pauciſſimique illi Quiritium*, qui quæſtu vix tandem allecti, eam non niſi ſero attigerint, tanquam *ad Græcos transfugæ* habebantur. Apud illos bellicæ virtutis laus & ſplendor primum ſemper locum obtinuiſſe, primamque ad gloriam commendationem præbuiſſe videtur; qui vero in toga potius, foroque verſari, & pacatiora ſequi ſtudia maluerunt, *alii*, ut ait Cicero[p], *ſe ad Philoſophiam; alii ad jus Civile, alii ad eloquentiam applicuerunt*. Hiſce ſe Artibus ingenuus quiſque exercuit; hiſce ſolis viam ſibi ad opes, famam, honores patefecit: quem vero unquam Romanorum ad Medicinam ſeſe applicuiſſe, quemve Civem ex eo ſtudio laudem & gloriam reportaſſe legimus? quod tamen *ordini, cui convenit* (ſervis utique & libertis) *honeſtum eſſe, Cicero ipſe* agnoſcit[q]. Neque mirum ſane, veteres illos, qui liberalium Artium tractationem ad ſervos minimè pertinere arbitrabantur[r], atque ab iis prorſus ſtudiis, quibus ipſi dare operam ſolebant, ſervos legibus arcebant[ſ], Medendi Artem a ſervis omnino occupatam, atque adminiſtratam, tanquam *illiberalem* ac *ſordidam* rejeciſſe.

---

[m] Plin. Hiſt. Nat. l. 25. 2. it. 26. 3.

[n] Cic. de Orat. l. 1. 14.

[o] Plin. lib. 29. 1.

[p] De Offic. 1. 32,

Servis ac libertis honestum fuit.

Haud tamen negandum eſt, quin cum ſervulis hiſce Medicinam exercentibus, alii quoque ſeſe conjunxerint *Græculi eſurientes*, qui quæſtûs cauſâ e Græcia Romam effluxerint, liberæ fortaſſe, ſed humilis certe atque abjectæ conditionis; quippe gens illa omnis tanto Romæ in contemptu habita eſt, ut nomen ipſum *Græcus*[t], tanquam contumelioſum quiddam & opprobrii plenum, jactitare plebs atque in ore habere ſolebat: Hos vero omnes J. Cæſar[u], ut *Urbi bellis Civilibus exhauſtæ frequentiam priſtinam redderet, Civitate donavit*. Atque hæc prima Medicis ad honores janua patefacta; hoc primum iis dignitatis fundamentum jactum videtur; qui apud alios deinceps Principes gratiâ ſæpe valentes, opibuſque inde & variis immunitatibus aucti, ex ſervili atque ignobili ſtatu, ad honeſtum tandem; atque ex tenebris illis & obſcuritate in lucem paulatim & ſplendorem quendam evaſerunt. Artem autem ipſam, magnis licet privilegiis munitam poſthac atque ornatam, vix unquam tamen, ut mihi videtur, inter liberales cenſeri; contra vero; apud Juriſperitos a Studiis[w] liberalibus diſtingui ſemper & ſejungi reperio.

Græculi esurientes.

J. Cæsar, civitate donavit.

---

[q] Ibid. 42.

[r] Ου χρὴ ποτ' ἄνδρα δȣ̃λον ὄντ' ἐλευθέρας γνώμας διώκειν· Eurip. Antiop.

[ſ] Servum hominem cauſas orare leges non ſinunt. Ter. Pher.

[t] Plutarc. in vita Ciceron. p. 863.

[u] Sueton. J. Cæſ. c. 42.

[w] Sed etſi Salarium alicui Decuriones decreverint; ut puta, ſi ob liberalem artem fuerit conſtitutum, vel ob Medicinam. l. 4. de Decret. ab ordin. faciend. it. exceptis, qui liberalium Studiorum Antiſtites, ſunt, & qui medendi curâ funguntur. l. 1. Cod. de Decret. Decur.

liberalium Studiorum Antistites et qui medendi curâ funguntur.

Atque hæc jam, quæ de Medicis Romæ degentibus expoſui, non conjecturâ modò probabilia, ſed vera omnia ac certa plane eſſe, ex conſtanti Auctorum omnium fide comprobari facilè poteſt: Quamvis enim, ut ſupra dixi, per prima illa ab Urbis ortu ſecula, altum quaſi de re tota ſit ſilentium; ex conſequentium tamen ſeculorum Scriptoribus plurima, nec illa quidem obſcura, ſuppetunt teſtimonia, quæ ſententiam meam prorſus confirmant; neque cuiquam certe dubium erit, quænam in priſca illa Urbis & Civium paupertate Medicorum fuerit conditio; cum florente jam, opibuſque omnibus affluente Republica, ignobilem eam, ſervilemque plane fuiſſe apparuerit: ad rem itaque probandam accedamus.

Domitius

Cleanthes Catonis Medicus.

Medicis et Praeceptoribus exceptis.

Pervulgata quidem eſt illa de *L. Domitio* Hiſtoria[x]; quem Corfinio capto, ne in Cæſaris poteſtatem veniret, *Medico ſervo* ſuo imperaſſe legimus, ut venenum ſibi daret: expertum tamen Victoris clementiam, *Medicum* ſtatim *manumiſiſſe*, quod prudens minùs noxium temperaſſet. Cleanthem quendam, Catonis *Medicum & Libertum*, Domini manum obligâſſe[y], atque inteſtina moribundo repoſuiſſe, vulnuſque conſuiſſe Plutarchus narrat: Auguſtus magna quadam annonæ caritate, ſervitiorum partem, exceptis *Medicis & Præceptoribus*, ex Urbe expuliſſe à Suetonio dicitur[z]: exſtatque ejuſdem Principis epiſtola, ad *Agrippinam neptem* his verbis ſcripta[a]: *Mitto præterea cum eo ex ſervis meis Medicum, quem ſcripſi Germanico, ſi vellet, retineret. Antonium* etiam *Muſam* (quem liberum Sponius[b] ingenuumque fuiſſe exiſtimat) Medicorum fere omnium celeberrimum, *Annulo aureo* & *Statuâ æreâ* publice donatum; Auguſti tamen *Servum & Li-*

---

[x] Sueton. Nero, c. 2. Plut. in Vit. Cæſ. 724.

[y] In vita Cat.

[z] In Aug. c. 42.

[a] Id Calig. c. 8.

[b] Spon. Recherches curi d'Antiquitè Diſſert. 27.

bertum deinde fuiſſe ex *Dione* diſcimus[c]. Primus ille *Muſa* Balneorum uſum improbaſſe, & frigidâ omnino ægros demerſiſſe dicitur; eandemque hanc valetudinis tuendæ rationem ab eo ſibi præſcriptam meminit Horatius[d].

Apud Juriſperitos etiam, multæ ſæpe occurrunt de *Medicis*, tum *Servis*, tum *Libertis* propoſitæ quæſtiones. *Medicus libertus quod putaret, ſi liberti ſui Medicinam non facerent, multo plures imperantes ſibi habiturum*, poſtulabat, ut ſequerentur ſe, neque opus facerent. Id jus necne[e]? ubi ex voce illa, *imperantes*, abjectæ Medicorum conditionis indicium quoddam elicere poſſumus; quum *Medico imperare* à Veteribus dici ſolere videtur pro Medicum adhibere, ſeu advocare: Sed non opus eſt plura Auctorum teſtimonia colligere, remque ſatis claram auctoritatibus onerare, quæ magna ſane copia ſuppetunt; extant & Marmorum antiquorum Inſcriptiones bene multæ, ad hanc ipſam quæſtionem pertinentes, quarum paucas modo, ad Argumentum meum pleniùs illuſtrandum, ex Grutero apponendas duxi.

CHRESTE. CONSERVAE
ET. CONIVGI
CELADVS. ANTON.
DRVSI. MEDICUS
CHIRURG.
&c. 581.

EROS
AVGVSTAE
MEDICVS 581.
SPOSIANVS.

Θ. K.
T. AIΛIOC
ACKΛHΠIAΔHC
CЄBACTOϒ
AΠЄΛЄϒΘЄPOC
IATPOC
ΛOϒΔ. MAT.
XЄIP.
335.

M. RVFRIVS. M. L.
FAVSTVS. MEDICVS
IIIIII VIR AVG.
464.

EVTYCHVS. AVG. LIB. NERONIANVS. MEDICVS. LVDI.
MATVTINI 335.

---

[c] ἦν γαρ ἀπελεύθερος. Dio ex Edit. H. Steph. p. 73.

[d] Epiſt. l. 1. 15.

Nam mihi Baias
Muſa ſupervacuas Antonius & tamen illis
Me facit inviſum, gelida quum perluor unda
Per medium frigus.

[e] Lib. 26. Princip. de oper. libert.

Talibus

Casaubonus.

Talibus monumentorum veterum, atque Auctorum confirmata teſtimoniis, conſtans ſemper de ſervili apud Romanos Medicorum conditione opinio invaluit: primus eam, ut opinor, in dubium vocare conatus eſt Iſ. Caſaubonus, in Animadverſionibus ſuis in Suetonium.

Sponius Medicus.

Meadius

Græcos

Libertinos

Chirurgos

Sponius deinde, Antiquitatis quidem ipſe ſcientiâ excellens, Medicus tamen, artique ſuæ nimium favens, opinionem hanc tanquam *vanum quoddam Robortelli commentum* irridet[f], omnemque ſervitutis indignitatem, a *Medicis* in *Chirurgos* atque *Ocularios* ridicule ſatis transferre conatur. Meadius denique noſter, Sponium omnino ſequens, magnificentiùs tamen, & glorioſiùs omnia de Arte ſua prædicat. Caſaubonus enim Medicos licet non omnes, at pleroſque tamen e Servorum numero, neque ullos quidem Romanos, ſed Græcos plane omnes fuiſſe fatetur: Sponius in hoc præcipue elaborat, ut a Servis ad proximum Libertinorum ordinem medendi artem evehat, atque uno quaſi gradu altiorem ponat: Meadius autem nihil omnino ſervile, nec humile quidem Medicis aſcribi patitur[g]; ſed in libertatem omnes, ac ingenuitatem ſimul aſſerit; Chirurgos ſolummodo, tanquam ſervile pecus, atque extremæ ſortis homines, libere nobis lacerandos propinans. Sed quibus tandem Argumentis hi tanti viri ad probandum utuntur, operæ pretium erit conſiderare.

Amicus Cæs.

Caſaubonus quum animadvertiſſet *Medicum* quendam[h] quem *J. Cæſar* a prædonibus captus, ſecum habuiſſe a *Suetonio* dicitur, *amicum Cæſaris a Plutarcho*[i] appellari; alioſque itidem Artem illam profitentes Principum Virorum amicitâ nonnunquam ac familiaritate uſos eſſe; ejuſmodi homines, quibus tantus honos habitus eſſet, *Servos* fuiſſe ſuſpicari, tanquam ridiculum credituque abſurdum arguit: hoc cum ille, tum poſt eum Sponius, argumento maximè utitur. Sed miror non animum attendiſſe Viros doctiſſimos, *amicorum cohortes* in plures gradus & ordines à Magnatibus ſegregari ſolere[k]; ut Lampridius de Alexandro Severo loquens, *tantæ cum moderationis fuiſſe ſcribit*, [l] ut *amicos non ſolum primi & ſecundi loci, ſed etiam inferioris, ægrotantes viſeret.* Neque mirum videri debet, non modo Libertinos ſed & Servos etiam, in *inferiorum Ordinum amicis* interdum numerari; cum meminerimus, quam benignè quamque familiariter iſtius ſortis homines, qui fide & ingenio præſtarent, vel à Principibus Viris tractari eſſent ſoliti.

---

[f] Spon. Recherches Curieuſes d'Antiq. Diſſert. 27. It. Miſcellanea. Erudit. Antiq. Sect. 4. p. 141.

[g] Mead. Oratio Harveian. p. 8.

[h] Animadverſ. in Sueton. p. 8.

[i] In vita J. Cæſ.

Cohortes Amicorum

Alexander Severus.

Qui fide et Ingenio praestarent. E.g. Terentius.

Brutus ad Ciceronem ſcribens[m], *Glyconem*, inquit, *Medicum Panſæ diligentiſſimè tibi commendo; audimus eum veniſſe in ſuſpicionem de morte Panſæ, cuſtodirique ut Parricidam; nihil minùs credendum; eſt modeſtus homo & frugi —— rogo te & quidem valde rogo*, &c. quis jam Medicum illum, Bruto tantopere carum & familiarem, *amicum Bruti* vocare dubitaret, qui tamen *Panſæ Coſ. Servus*, aut ſaltem *Libertus* erat? Ciceroni autem ipſi nihil unquam *Servo ſuo Tirone* dulcius aut carius fuiſſe, epiſtolæ ſuæ ad eum miſſæ ſatis declarant: ob cujus tandem manumiſſionem gratias ei per litteras Q. Cicero frater agens[n], *Gratiſſimum*, inquit, *mihi feciſtì, cum eum indignum illa fortunâ, nobis Amicum, quàm Servum eſſe maluiſti:* tanquam nihil aliud eſſet Manumiſſio, quàm è ſervitute in amicitiam Domini tranſitus: hoc au-

Glicon

Rogo et valde rogo

Pansa Servus aut libertus.

Tiro

---

[k] Conſuetudo iſta vetus Regibus, Regeſque ſimulantibus populum amicorum deſcribere: apud nos primi omnium C. Gracchus, & mox Livius Druſus inſtituerunt ſegregare turbam ſuam, &c. Senec. de Ben. l. 6. 33. It. de Clemen. 1. 10. It, Sueton. Tiber. c. 46.

[l] c. 20.

[m] Epiſt. ad Cic. 6.

[n] Cic. Ep, fam. ad Tiron. 6.

tem Medicis præcipuè & Præceptoribus contigiſſe, ut in *Amicos facilè tranſirent* teſtatur Seneca ;[o] quibus ſcilicet Artes ipſæ, quas profitentur, Dominorum gratiæ promerendæ hominibuſque beneficio obligandis omnium maximè ſint opportunæ. Sed quid tandem ad amorem Domini erga ſervum ſignificandum gravius eſſe poteſt, quam Inſcriptio publicè dicata ? hujuſmodi autem vetuſtam quandam exhibet *Turrius*,[p] Aquileiæ repertam, quàm ſummus, uti videtur, Coloniæ Magiſtratus *Servo ſuo Medico* poſuiſſet.

Phæbianus Medicus Servus

PHAEBIANO
SER.
MEDICO
FABIANUS
COS.

Hanc *Inſcriptionem*, inquit Auctor celeberrimus, *ægris oculis vidiſſet Sponius, qui à Servorum abjectâ conditione Medicos vindicare conatus eſt*. In notiſſimâ denique illâ de Pyrrho Rege hiſtoriâ ; hominem illum, qui Fabricio Conſuli, ſi de pretio conveniret, veneno Regem necare promiſit, *Medicum* Plutarchus[a] ; *Amicum* Gellius[q] ; *Famulum* autem *Regis* Claudianus vocat[p] : quæ tamen omnia tum inter ſe conſentire, tum ſententiam meam confirmare, ex ſupra dictis facilè patere arbitror.

abjectâ conditione

Medicus
Amicus
Famulus

Sponium quod attinet ; multum ille quidem ſeſe efferre atque exultare videtur, quod Medicorum unus aut alter *Ciceronis, Cæſariſvè Amicus* eſſet nominatus : quod quam leve totum ſit, ac futile, nihil neceſſe eſt pluribus oſtendere. Ut vero diligens admodum erat Antiquitatis omnis Inveſtigator ; in Monumen-

leve ac futile,

---

[o] De Ben. l. 6. 26.

[p] Philip. a Turre Monumen. Vet. Antij. p. 361.

[q] In vita Pyrrhi. p. 396.

[r] Noct. Att. 3. 8.

[ſ] De Bello Gild. 271.

tis tamen veterum perſcrutandis idem ille quidem facere videtur, quod ii omnes ſolent, qui certis quibuſdam deſtinatiſque ſententiis ſeſe addixerint; ea videlicet, quæ opinionibus ſuis præjudicatis favere quoquo modo credant, rapere undique & in partes ſuas torquere, alia verò omnia negligere facilè aut celare. Sed ut Argumentationis ejus vim omnem complecti facilius, & comprehendere queamus; inſcriptionum quarundam veterum, quibus præcipuè cauſam ſuam evincere, contrariamque refellere conatur, maximam partem huc quoque transferendam curavi.

I.

M. LATINIVS
MEDICVS
OCVLARIVS.

Latinius Medicus Ocularius.

II.

M. ALLIVS. PAMPHILVS
MEDICVS.
&c.

Pamphilus Medicus

III.

C. CALPVRNIVS. ASCLEPIADES
PRVSA. AD. OLYMPVM. MEDICVS
PARENTIBVS. ET. SIBI. ET. FRATRIB.
CIVITATES. VII. A. DIVO. TRAIANO
IMPETRAVIT. &c.

Asclepiades Medicus

IV.

ILLVSTRIVS. TI. CAESARIS.
AVG. SER. CELADIANVS
MEDICVS. OCVLARIVS.

Servus Celadianus
Medicus Ocularius.

V.

Nicander Medicus

M. FONTEIVS
NICANDER
MEDICVS.

VI.

Cassius Medicus

L. ANNIVS. CASSIVS. MITHR
ADORVS. MEDICVS. &c.

VII.

Asclepiades Medicus.

L. ARRVNTIO
SEMPRONIANO
ASCLEPIADI
IMP. DOMITIANI
MEDICO. &c.

VIII.

Medicus clinicus

TI. CLAVDIVS. IVLIANVS
MEDICVS. CLINICVS. COH. IIII.
PR. FECIT. VIVOS. SIBI. ET.
TVLLIE. EPIGONE. CONIVGI.
LIBERTIS. LIBERTABVSQ;
CLAVDIIS. &c.

Libertis & Claudiis

IX.

P. CHARM.
SOSTHE.
MEDIC.
IIIIII. VIR. AVG.

Hiſce *pauculis Inſcriptionibus*, inquit Sponius, [t] *deſirui poteſt ridiculum Robortelli commentum; qui aſſeruit, Romæ tantum ſervos Medicinam exercuiſſe. Etiamſi etenim in Inſcriptione, Illuſtrius Tib. Cæſaris ſervus fuerit Medicus; obſervandum eſt, addi Ocularius; ſicque potiùs Chirurgum quàm Medicum fuiſſe. At in aliis lapidibus Medici ſoli ingenui, aut liberti,* &c. *quorum ultimus vero, præterquam ingenuus fuit, ſextumviratûs dignitate ornatus obſervatur.*

Robortellus

De primâ autem illâ inſcriptione, *literas*, M. L; quæ Latinii nomen ſequi debuiſſent, *libertinam* videlicet ejus conditionem indicantes, a Sponio detractas eſſe, vir doctus *Malvaſia* oſtendit [u]. Secundam quod attinet; Amicus meus *Juſtus Fontaninus*, Romanæ Eccleſiæ Præſul, vir omni literarum genere præſtantiſſimus, ſcriptiſque in lucem editis meritò celeberrimus, in libro ſuo de Antiquitatibus Hortæ (quem inter alia plurima amicitiæ & benevolentiæ ſuæ pignora ab eo Romæ dono accepi) diverſo planè modo eam nobis exhibet; videlicet, MALLIVS PAM. &c. Nulla interpunctionis notulâ ad prænomen diſtinguendum adhibitâ: atque ex eo Pamphilum illum è *ſervorum grege* fuiſſe, necdum libertate donatum contendit; propterea quod prænomine, quo cives omnes utebantur, careret: [w] Sponiumque deinde levitèr reprehendit, quod ultra quam par ſit, Robortelli opinionem irrideat.

Malvasia

Fontaninus

De Aſclepiade autem Medico proximè memorato, quam puerilia & inepta omnia protulit Sponius? [x] Qui inſcriptionem ipſam in Gallicum ſermonem vertens, *ſeptem Urbium Dominium & Principatum* ab Imperatore Trajano eum obtinuiſſe aſſerit:

Puerilia et inepta

---

[t] Miſcell. Erud. Antiq. p. 144.

[u] Marmora Felſin. Sect. 5. c. 1.

[w] Cap. 9. p. 166.

[x] Diſſer. 27. p. 431.

Neque Meadius deinde hunc tantum virum, ſeu Principem potius, *totque Civitatum donationem*, in Artis ſuæ gloriam commemorare omiſit. [y] Sed quid tandem, ſi Diis placet, hæc tam magnifica ſibi velint? Reineſius enim, Auctor quidem ille gravis, Medicuſque celebris, (unde ipſam etiam inſcriptionem tranſtulerat Sponius) nihil aliud *Aſclepiadem* huncce fuiſſe dicit,[z] quàm *ſervum è Calpurnia Familiâ* manumiſſum, qui Trajani favore *Civis privilegia & immunitatem*, non ſolum Romæ, ſed in ſex aliis Græciæ & Aſiæ Civitatibus ſibi, ſuiſque impetraverat: Nec quicquam ſane ampliùs inſcriptionis ipſius verbis ſignificari certiſſimum eſt; quippe *ſeptem Urbium Dominatus* ab optimo & prudentiſſimo Principe *Mædico Græculo* donatus, non ſolùm incredibile quiddam videtur, ſed à ſcriptoribus omnibus ſilentio præteriri nullo modo poterat.

Asclepiades Servus.

Civis Privilegia

Cæteros autem Medicos in reliquis illis lapidibus nominatos, quis unquam ſanus ingenuos, ut ille, atque ex familiis quarum nomina præ ſe ferunt, oriundos credere poteſt? quidni potius ſervos omnes fuiſſe exiſtimemus, qui manumiſſi poſtea, *Dominorum* ſibi *nomina*, & *prænomina* pro more aſſumſerant?

Verterat hunc Dominus momento turbinus, exit
Marcus, Dama, &c.——Perſ. Sat. 5. 78.

Hoc ſanè de *Claudio illo Juliano* quam maximè eſt probabile; non tam propter conjugem Græcam *Epigonem*, quam quod *Claudiæ familiæ*, è quâ ipſe manumiſſus eſſet, *libertis*, *libertabuſque* commune Sepulchrum poſuiſſe videtur. Sin quod minùs eſt veriſimile, liberos eos eſſe concedamus; Romani tamen eſſe non poterant; ſed ex Græculis iſtis, qui ab Imperatoribus Civitate

Ex Græculis æsurientibus.

---

[y] Crat. Harv. p. 9.

[z] Syntag. Inſcript. Antiq. Claſſ. 11. 4.

donati, Magnorumque in clientelam recepti, Romana deinceps nomina uſurparunt; retento tamen plerumque atque adjecto veteri Græco: Quales proculdubio (ſi non ſervi potiùs ſint exiſtimandi) *Caſſium*, *Fonteium*, *Arruntium* fuiſſe ex ipſis inſcriptionibus ſatis apparet.

Sextum viratum denique *Auguſtalem* quod attinet; quem Medicus ille Charmes in inſcriptione geſſiſſe dicitur: errat planè Vir Eruditus, quod non niſi ad *Ingenuos Nobileſque* deferri eum exiſtimaverit; [a] quum & Libertinis præcipuè, ſeu ſemper potiùs delatum fuiſſe multæ aliæ inſcriptiones declarant: quarum quidem una ipſam pecuniæ ſummam memorat, quam *Medicus Servus* pro libertate; quamque *libertus* deinde pro *Seviratu* in Rempublicam dediſſet [b].

P. DECIMVS. P. L. EROS.
MERVLA. MEDICVS
CLINICVS CHIRVRGVS
OCVLARIVS. VI. VIR.
HIC. PRO. LIBERTATE. DEDIT. H. S. I,,
HIC. PRO. SEVIRATV. IN. REMP.
DEDIT. H. S. ∞ . ∞ .

Hier. Mercurial. Var. Lect. l. 3.

Medicus clinicus chirurgus
Ocularis

---

[a] Diſſert. 27. p. 435.

[b] Seviratus hicce Auguſtalis, quale tandem Munus fuerit, ſive Sacerdotium, ſive magiſtratus quidam in municipiis, haud inter Eruditos conſtat: ex Tacito [Ann. 1. 54. 1.] & Suetonio [Claud. c. 6.] diſcimus, poſt mortem Auguſti Sacerdotium quoddam in honorem Juliæ Gentis a Tiberio eſſe inſtitutum; in quod forte deligebantur Primores Civitatis, unus & viginti, *Sodalium Auguſtalium* nomine, qui ſacris, ludiſque in Cæſarum defunctorum honorem conſtitutis præfuerunt; quibus poſtea extra ordinem adjecti Tiberius, Druſus, Claudius, Germanicus. Hujus Sodalitatis ad ſimilitudinem, rebuſque ut opinor, iiſdem procurandis, *Seviratus Auguſtalis* in Coloniis & Municipiis creatus videtur: Ordo quidem inter Decuriones & plebem medius; ut ex Veteribus marmoribus patet. Honorem ipſum pecuniâ plerumque emptum; nonnunquam tamen à Decurionibus ob merita gratuito datum; nec tamen perpetuum fuiſſe, ſed quinquennale & repetitum interdum ex Inſcriptionibus antiquis colligitur.

Sponius

Quid interest, Servine an Liberti?

Frugi et diligentes.

Liberi, non Ingenui

Mena

Sponius autem, dum Medicorum veterum conditionem liberam ac ingenuam probare ſtudet, evertit planè, ut mihi videtur, quod tanto opere aſtruere laborat, cum è *Libertinorum* tandem familiâ maximam eorum partem exiiſſe fateri cogatur: quid enim tantum intereſt, *Servine* Medendi Artem exercuerint an *Liberti?* quum hos etiam in ſervitute illam cum didiciſſe, tum exercuiſſe neceſſe ſit: *Servos* autem *frugi* & *diligentes* (atque ut ex ſupra dictis conjicere licet, omnium maxime Medicos) haud *quinquennio diutiùs ſervire*, ſed in libertatem deinde emitti ſolere, *ex Cicerone* colligere poſſumus: [c] atque hinc *Medicorum Libertorum*, quorum nomina toties occurrunt, tantus numerus effluxit: qui quidem etſi *liberi* dici poſſint, (quum tamen non omnes fortaſſe juſtâ libertate fruebantur) at *Ingenui* certè nunquam exiſtimabantur: contra verò; *Libertinos* atque *Ingenuos*, tanquam contrariæ ſortis homines, ſibi invicem oppoſitos ſemper ab Auctoribus invenimus, *Hominibus*, inquit Seneca, [d] *prodeſſe Natura jubet, Servi, Liberive ſint; Ingenui an Libertini.* Narratque Suetonius, [e] Auguſtum *neminem unquam Libertinorum cœnæ adhibuiſſe*, excepto Mena, (S. Pompeii Liberto) *ſed aſſerto prius in Ingenuitatem.*

Meadius

Infamiam in Chirurgos.

Utrique autem Medici.

Sed ad Meadium tandem noſtrum veniamus, qui in hac quæſtione tractandâ, [f] in id unum totus incumbit, ut inuſtam *Medicis* ſervitutis infamiam in *Chirurgos* penitùs removeat; *Illos* Romæ ſemper ſplendidos, honoribuſque auctos; *Hos* tantummodò ignobiles, abjectos, ſerviles eſſe contendens: Utrique autem cum *Medici* à Veteribus appellabantur, inde errorem hunc omnem naſci innuit, quod quos eodem nomine appellatos Viri docti obſervaſſent, eâdem etiam vitæ conditione uſos crederent.

---

[c] Orat. Philip. 8. 11.

[d] De Vita Beat. c. 24.

[e] Aug. c. 74.

[f] Orat. Harv. p. 8.

Sed parum ei felicitèr in re probandâ ſucceſſit: ex omnibus enim, quos enumerat Medicis, duos tantùm profert, de quorum conditione certi aliquid ac indubitati memoriæ proditur; *Arcagathum* ſcilicet, & *Antonium Muſam:* quorum ille quidem liber & Civitate donatus, ſed *Chirurgus* certè, ſeu ut *Plinius*, eum vocat, [g] *Medicus Vulnerarius*; Hic autem, *Medicus* planè ſummus, ſummiſque honoribus ornatus, *Auguſti* tamen ut ſupra dixi, *Servus* & *Libertus* fuit: de reliquis illis, quorum *Romana* quidem nomina adducit, *Caſſiis*, *Calpetanis*, *Arruntiis*, &c. quid conſtituendum ſit, ex ſupra memoratis facilè judicabimus: quos ſi Cives ipſe, ingenuoſque omnes fuiſſe, cum Sponio credere poteſt; haud tamen aliis perſuadere credat; *Nobiles* unquam *Romános* Artem illam exercuiſſe, quam vel *infimus* quiſque *gravitate ſuâ indignam* arbitrabatur; quamque *nullus omnino Quiritium*, niſi ſerò admodum, nec ut *Clericus ipſe* fatetur, ante Cæſarum ætatem unquam attigit.

Arcagatham Musam

Medicus Vulnerarius

Servus et Libertus

Obſervat autem Vir Celeberrimus, in Nummo quodam *Rubriæ Familiæ*, *Anguem Deæ Salutis Simbolum* conſpici, quem ad florentem tunc in ea familia Medicinæ laudem referri omnino oportere cenſet [h]: miraturque Patinum & Vaillant, Medicos quidem ambos, in Nummis Familiarum Romanarum explicandis, *rem Arti ſuæ tam honorificam* prætermiſiſſe: at in aliis etiam Nummis Conſularibus, quos ipſe quoque exhibet [i], Uno ſcilicet *Juniæ*, altero *Aciliæ Familiæ*, ipſa *Deæ Salutis* imago expreſſa cernitur: num Medici propterea familiarum iſtarum Principes; nihil ſane minus credendum. Sed *Juniorum* nummus, ob Templi *Deæ Saluti* ædificati memoriam, percuſſus exiſtimatur, quod *Junius Bubulcus* ex voto, quod Conſul fecerat, Dictator dedicavit A. U. 451. [k] Alterque iſte *Acilianus*, munus aliquod, vel magiſtratum, ad valetudinem populi contra peſtem, morbumve quendam contagioſum tuendam inſtitutum, geſtumque feliciter denotat, uti ex ipſa inſcriptione Viri docti judicant. MV. ACILIVS. III. VIR. VALETV. Quidni igitur cum Patino, *Rubriorum* etiam Nummum illum (quo Æſculapii in Urbem advectio denotari atque exprimi videtur) ad operam aliquam ſingularem ea occaſione Reipublicæ præſtitam, ſeu ad ſumptus Templo ejus ædificando, vel ornando poſtea ab ea familia præbitos, referendum arbitremur? Sed ut privatos hoſce Cives omittamus; in Imperatorum ſæpiſſime nummis eadem illa cernitur *Salutis* effigies; ſignificans videlicet, ſalutem a Principe vel Imperio publicè, vel certis quibuſdam Civibus præcipuè datam [l]; ſeu vota & ſacrificia pro conſervatione, & valetudine Imperatoris à populo, vel Civitate aliqua facta. Ex talibus autem nummis, ſi Imperatores ipſos medicinam exercuiſſe putaremus, haud magis abſurdum eſſet, quam ſi Nobiles illos *Junios*, *Acilios*, *Rubrios*, Conſulum adhuc ætate, Artem illam profeſſos crederemus; quæ illis certe temporibus dedecus potius & infamiam, quam laudem, gloriamve nummis percutiendis celebrari dignam attuliſſet.

---

[g] Hiſt. Nat. l. 29. 1.

[h] Orat. p. 11.

[i] Ibid. p. 31. Aſſerit. [p. 49.] inter alias Romanorum familias, Rubriam Medicinæ laude floruiſſe; Pliniumque teſtem adducit: qui tamen nec de Rubria, nec de aliis iſtis familiis ne verbum profert; ſed inter Medicos tantummodo celeberrimos memorat Caſſios, Carpitanos, Arruntios, Albutios, Rubrios — quos Servos potius, quam Familiarum Principes fuiſſe, ut modo dixi, haud dubitandum eſt.

---

[k] T. Liv. l. 10. 1.

[l] Cum conjuratio quædam (cujus Princeps Cn. Cornelius, Pompeii magni ex filia nepos) contra Auguſtum eſſet detecta, Liviæ Auguſtæ conſilio atque interceſſione non veniam modo Conjuratores, ſed honores & Magiſtratus ab Imperatore conſecutos eſſe, tradit Dio: [Cæſ. Aug. l. 55. p. 85.] In cujus rei memoriam Nummum illum percuſſum eſſe, veriſimile eſt, in cujus averſa parte, Liviæ facies conſpicitur, hac inſcriptione; SAL. AVG. Vid. Agoſtin. Dial. 2. Tab. 45. Statuam etiam illam, quæ Romæ adhuc cernitur, Liviæque Auguſtæ faciem, ſub Deæ Salutis imagine exhibet, ob eandem cauſam, atque eodem tempore fingi credibile eſt. Vid. Raccolt. di Statue di Roma.—

Dum autem a Medicis contumeliam propulſare conatur, caveat tandem vir digniſſimus, ne in alios ipſe quidem contumelioſus reperiatur; Chirurgos velim, viros ſane honeſtos, & Reipublicæ utiles; quoſque a reliquis Medicis, nec nomine, nec conditione antiquitus unquam diſtingui, aut ſegregari reperio: Niſi fortaſſe credendum potius ſit, Chirurgicam Medicinæ partem, cum antiquiorem, tum majori etiam apud veteres honore fuiſſe habitam. Ipſe quidem *Æſculapius* non aliam ob cauſam in Deorum numerum relatus dicitur, quàm quod *Specillum* (Chirurgorum quoddam inſtrumentum) *invenerit, primuſque vulnera obligare docuerit*[m]*:* ejuſque itidem Filios, ab Homero tantopere celebratos, *Podalirium* & *Machaonem*, non ad peſtem morboſve medendos, ſed ad vulnera ſolum curanda adhiberi cernimus: *Ex quo apparet*, inquit Celſus[n], *has partes Medicinæ ſolas ab his eſſe tentatas, eaſque eſſe vetuſtiſſimas.* Arſque ipſa Chirurgorum adeo propria ab Antiquis exiſtimabatur, ut nomen inde, a telis ſcilicet eximendis, apud Græcos eam duxiſſe *Sextus Empiricus* Auctor eſt[o]: Ἰατρικὴ εἴρηται τὸ παλαιὸν ἀπὸ τῆς τῶν ἰῶν ἐξαιρέσεως. Quam quidem nominis definitionem ab Homero plane ſumſiſſe videtur.

> Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων
> Ἰούς τ' ἐκτάμνειν, &c.————Iliad. λ. 514.

Hier. Mercurialis, Medicus quidem ipſe doctiſſimus, omnes priſcos Medicos Chirurgos fuiſſe agnoſcit; atque ad Galeni uſque tempora Medicamenta ſibi ipſis paraſſe: Uti *Compertum habent*, inquit[p], *qui in Auctoribus antiquioribus*, atque Hippocrate præcipue ſunt verſati.

---

[m] Cic. de Nat. Deor. l. 3.

[n] Præf. lib. de re Med.

[o] Adv. Mathem. l. 1. c. 2.

[p] Var. lect. l. 1. c. 13.

Apud veteres certe Romanos, communi Medicorum nomine cum utroſque appellari, tum utraſque ſimul Medicinæ partes ab eodem ſemper exerceri certiſſimum eſt. *Arcagathus* ille, qui omnium primus Medicinæ profitendæ cauſa e Græcia Romam, Anno Urbis 535, veniſſe dicitur[q], *Chirurgus*, ut ante dixi, fuit, tabernamque ad operam locandam publice datam habuit. *Plautus* etiam, qui eodem tempore, ſeu poſteriùs aliquanto floruit, de *Medicis* quoties loquitur, haud alios ac *Chirurgos* eſſe confirmat.

> *Lumbi ſedendo, oculi ſpectando dolent,*
> *Manendo Medicum, dum ſe ex opere recipiat;*
> *Odioſus tamen vix ab ægrotis venit;*
> *Ait ſe obligaſſe crus fractum Æſculapio,*
> *Apollini autem brachium,* &c. —— Menæc. 5. 3.

C. Marium crura tumoribus quibuſdam deformata Medico ſecanda obtuliſſe legimus[r]; & ſecandi acerbitatem ſine ullo doloris indicio pertuliſſe. *Cicero* de Milite Veterano ac Exercitato loquens[ſ], ob vulnera fortiorem eum fieri dicit, nec requirere aliud, quàm *Medicum, a quo obligetur. Catonis Medicum illum* ſupra memoratum *Chirurgi* proprio munere fungentem vidimus. Gladiatorum denique *Ludi ſinguli*, ut ex Inſcriptionibus plurimis apparet, ſingulos ſibi Medicos habuerunt, in utrumque certe, tum *valetudinem tuendam*, tum *vulnera medenda*, paratos æque ac inſtructos.

Imperatorum autem poſtea temporibus, cum Civium ſimul & Medicorum multitudo in immenſum quaſi excreviſſet; atque in Urbe opibus omnibus abundante, vel *quælibet Medicinæ pars* vectigal, quæſtumque ſatis amplum profitentibus conficere valeret; tum primùm in partes varias ſecari quaſi, & dividi Medendi Ars; tum ſingulæ deinceps a ſingulis tractari & adminiſtrari;

---

[q] Plin. Hiſt. Nat. l. 29. 1. [r] Plut. in C. Mar. [ſ] Tuſc. Quæſt. l. 2. 38.

ſtrari; tum vel minima quæque corporis pars, certuſve quilibet dolor *Medicos ſibi proprios*, & *unice addictos* habere cœpit[t]: atque hinc denique *Clinicorum*, *Chirurgorum*, *Oculariorum*, *Auriculariorum*, &c. nomina effluxere: quæ tamen omnia uni interdum, eidemque adhuc competere, ex Inſcriptione ſupra allata, atque aliis multis liquet.

Poſtremis temporibus, inquit Menagius[u], *partem illam Medicinæ, quæ manu medetur, ab aliis homines ſejunxerunt: quando factum hoc diſſidium, dixerit alius, non ego; certe poſt Antoninos.* Scio autem Celſum, prout a Clerico citatur[w], multis antea annis factam hanc Medicinæ partitionem indicare videri: dubitat autem vir eruditus, an Celſus de ea, tanquam facta jam, & in uſum perducta; an de re ſolum utili, quamque inſtituendam exoptarat, eſſet locutus; cum Celſi ipſius ætate, antiquum adhuc morem obtinuiſſe, omneſque ſimul Medicinæ partes ab uno eodemque tractatas ſæpe eſſe appareat.

Quicquid vero de hac re ſtatuamus; hoc unum certiſſimum eſt, *Medicos* & *Chirurgos* pari ſemper conditione & dignitate apud veteres Romanos extitiſſe; viderintque tandem ii, qui conſtantem doctorum fere omnium opinionem, tanquam *ridiculum commentum, in opprobrium artis prolatum*, inſectantur; quam temere ipſi, nullo Antiquitatis Monumento, nullo Auctore muniti, in alios, immerentes illos quidem & indignos, mera opprobria jaciant.

Meadius autem, ne, ſi nihil omnino de ignobili Medicorum veterum ſtatu fateretur, obſtinatum nimis & pervicacem ſeſe oſtenderet; concedere tandem aliquid videtur, ſed tanta verborum obſcuritate involutum & quaſi vi extortum, ut ſenſum inde vix ullum quidem, nedum clarum & diſtinctum elicere facile valeamus: ejuſque ideo verba integra huc appoſui, ut ſolertior aliquis ea mihi expedienda ſuſcipiat.

---

[t] Medicos fortaſſe quis excipiet, etiam eos, qui alicujus partis corporis, vel certi doloris ſanitatem pollicentur: ut puta, ſi Auricularius, ſi Fiſtulæ, vel dentium, &c. l. 1. §. 3. Dig. de var. & extraor. cognition.

[u] Amœnitat. Jur. Civ. c. 35. p. 227.

[w] Hiſt. de la Medicine. l. 1. pt. 2. c. 9.

Nihil igitur ſervile, inquit ille[x], *aut tenue quidem, Artem noſtram adhuc dedecorat. Sed ut plane & ſine fuco totam rem dicam, ſimul cum ingenuis multis, & doctis viris, non pauci ſcientiæ & fortunæ bonis inferiores, illis temporibus Romam veniebant*; qui *etſi non Medicamentis, ſed manu curarent, Medici tamen appellabantur. Hi in divitum & Magnatum clientelam ſe conferebant, & Servi agebant, donec Civitatem conſequerentur, inde Liberti, nomen alicujus Familiæ Romanæ ſibi adſciſcere ſolebant: neque raro, ſi ingenium ſtudio literarum excoluiſſent, morbis etiam internis medebantur,* & *in Medicorum Clinicorum cenſum veniebant. Tali conditione fuit Antonius Muſa,* &c.

Hæc ille; ſed ut mihi quidem videtur, cum verbis tum ſententiis ſibi ipſi plane repugnans: ut enim alia omittam; ego ſane haud intelligo, quemadmodum ii, qui e Græcia *ſponte* quidem veniſſent, atque in Divitum clientelam ſeſe contuliſſent, *Servos* deinde *Romæ agere,* iidemque *Magnatum Clientes* & *Servi* ſimul eſſe poſſent? Hujuſmodi autem omnia, (ſive errata, ſeu minus tantum accurata vocemus) & longe quidem majora, tali certe viro facile ſunt ignoſcenda: cui tantis rebus occupato, otium ad hujuſmodi nugas exquirendas nullo modo ſuppetit; cujuſque aſſiduis occupationibus quantum unquam moræ interponatur, tantum ſane de publicis commodis detrahitur.

Clericus autem ille, quem ſupra nominavi, in libro illo, quo Medendi Artis hiſtoriam diligenter & erudite contexuit, hanc omnem quæſtionem copioſe tractat[y]; & quamvis Medicus, non dubitat tamen, quæ in utramque partem dici ſolent, in medium proferre, aliis judicium relinquens: in hoc tantum errare viſus;

---

[x] Orat. p. 9.

[y] Lib. 1. p. 3. c. 2.

quod Sponii Autoritatem ſequens, Medicos illos *Arruntium*, *Calpetanum*, *Rubrium*, *&c.* quos *Romanorum primos* Medicinam attigiſſe dicit, ex *ampliſſimis Civium familiis* ad eam illico acceſſiſſe credat: quaſi artem illam, quæ Romani Civis exiſtimationi nocere plane exiſtimabatur, *Nobiles* ſtatim exercuiſſe, omnino eſſet credibile: idque *Auguſti*, *Tiberii*ve ætate, cum vel multis poſt annis Medici, ut ſupra dixi, in *humillimis mortalium* a *Seneca* adhuc numerantur.

Sed de hac omni diſceptatione hactenus: nec quemquam jam exiſtimare velim, me horum aliquid diſputaſſe, ut Medendi arti, honeſtæ ei quidem atque imprimis utili, invidiam, aliquam conflarem, dedecuſve inurerem: Nihil minus mihi in animo erat; quippe haud alius quiſquam Medicorum plures, amicitiâ ſibi & conſuetudine omni conjunctos habet, aut habere magis cupit: quorum pleroſque cognovi ſemper, tum Viros bonos, tum in omni fere doctrinæ genere excellentes. Nec ipſam ſane quæſtionem ad veram artis gloriam, laudemque pertinere omnino arbitror: etenim hoc ſibi Medicina nullo modo præcipuum, ſed cum aliis pleriſque artibus commune habet; quod Romæ tardius olim recepta, neglecta & contempta fuerit[z]: neque *Medici* magis vituperandi, quod a priſcis illis Quiritibus nullo loco habiti eſſent, quam *Poetæ*; quorum familiaritatem & conſuetudinem M. Cato Senatori cuidam, tanquam probrum aliquod objeciſſe fertur[a]: tota hæc diſputatio in Hiſtorica quadam diſquiſitione unice verſatur; quæ etſi omnibus ſane levicula; nonnullis tamen, uti ſpero, nec injucunda, nec homine in literis otiante indigna prorſus videbitur; qui tamen & his fortaſſe graviora, uti alias fecerit, ita in poſterum etiam ſit aliquando in lucem editurus.

---

[z] Serò a noſtris Poetæ vel cogniti, vel recepti.——Philoſophia jacuit uſque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen Latinarum literarum. Cic. Tuſc. quæſt. 1.

[a] Ibid.——

DISSERTATIONIS
DE
Medicorum Romæ Degentium
CONDITIONE IGNOBILI & SERVILI,
CONTRA
ANONYMOS QUOSDAM
Notarum Brevium, Reſponſionis, atque Animadverſionis
AUCTORES,
DEFENSIO.

Qui admonent amicè docendi ſunt, qui inimicè inſectantur repellendi. Cic. de Nat. Deor. l. 1.

DISSERTATIONIS

DE

MEDICORUM ROMÆ DEGENTIUM

Conditione Ignobili & Servili

DEFENSIO, &c.

CUM de *Medicorum Romæ olim degentium conditione* Diſſertationem meam in publicum edere ſtatuiſſem, nullius mihi vel animum vel exiſtimationem lædere propoſitum erat; ſed cum eruditis quibuſcunque atque antiquarum præſertim rerum ſtudioſis, gratiam me potius initurum putaram, ſi quæſtionem in Antiquitatis cognitione verſatam, atque à viris doctis, etſi levitèr ſolummodo, at ſæpius tamen, varièque agitatam, penitùs ipſe perſcrutandam, fuſiùſque explicandam, arriperem: quippe ego, qui niſi laceſſitus, atque injuriæ propulſandæ cauſa, neminem mihi unquam laceſſendum duxerim, haud tam temerarius fuiſſem ut *Florentiſſimi Medicorum Ordinis* inimicitias, hac meâ præſertim minùs firmâ valetudine, ultro mihi ſubeundas putarem.

Sed ut dicam planè quod ſentiam; ego nec intelligere unquam potui, neque adhuc ſanè cauſam videre queo, cur hæc noſtra diſputatio *Medicis* omnino *Stomachum* moveret; cur vè offenſos inde aut indignè ſeſe tractatos judicarent. Etenim quid ſi *Priſci illi Romani* de Arte iſta minùs quidem, quàm oportuit, honorificè cenſuerint; num ad horum temporum Medicos hoc ullo modo pertinere exiſtimabitur ? Si homines, inquam, illi artium bonarum rudes, literarumque expertes, Medicinam, juxta ac reliquas artes contempſerint, nec Civibus quidem ſuis colendam judicaverint; num hoc apud Viros graves de verâ artis laude detrahere aliquid aut imminuere poterit? Numvè mirandum eſt, in quâ Urbe per tot ſecula nec luxus, nec pecunia ferè reperiebatur, quorum alterum Morbos, alterum Medicos alit, in ea Urbe, *medendi artem* jacuiſſe, atque ab *Ingenuis liberiſque hominibus*, quibus vitam pro ſuo cujuſque arbitrio inſtituendi facultas eſſet, omnino rejectam ac contemptam eſſe ?

Apud *Turcas* hodie, ſi peregrinantibus habenda fides, hæc eadem Ars nullo ferè loco haberi, ſed à *Servis*, *Obſtetricibus*, *Græculis*, *Judæiſque* adminiſtrari dicitur: quis tamen hoc *Medicinæ ipſi* infamiam ullam, dedecuſvè afferre arbitratur? quiſve non Nationis ejus inſcitiam potiùs & barbariem irridet, quæ Artem tam utilem, tamque neceſſariam non pluris æſtimet; nec præmiis honoribuſque propoſitis homines ſuos ad eam excolendam excitet ?

Videram autem, fateor, nonnullos, viros eos quidem graves atque eruditos, vel gloriolâ quâdam elatos, vel artis ſuæ caritate nimis faſtidiosâ incenſos, hanc omnem diſputationem impatienter ſatis, nec niſi ægro planè animo tuliſſe; atque in eâ refutandâ, perinde ac opprobrio aliquo à Medicis repellendo, tam vehementèr elaboraſſe, ut ſeſe vix à contumeliis abſtinerent; nec contrariæ ſententiæ fautores haud alitèr ac malevolos atque invidos inſectari dubitarent. Horum ego intemperantiam etſi aliquantulùm reprimendam eſſe cenſui, ita tamen reprimendam, ut maledicentia ſanè omnis, ſermoniſque aſperitas à noſtrâ prorſus diſceptatione abeſſent; atque ut Viros liberaliter educatos decet, non animorum contentione, ſed opinionum ſolummodò, diſſenſione ad veri inveſtigationem accederemus: quod quidem in illa *mea Diſſertatione* me tam religiosè præſtitiſſe arbitrör, ut ne verbum ibi unum aut contumeliosè aut aſperè nimis dictum inveniri poſſe confidam.

Diſſertationem autem ipſam quod attinet; ea ſane non niſi caſu quodam, atque illo fere, quo rem expoſui, modo, tum primùm inchoata, tum perfecta poſtea ac in lucem emiſſa eſt: nec vereor profecto, ne quis idem mihi illud objiciat, quod *Oppugnatores quidem meos* objeciſſe video; tanquam cauſæ *a me prorsùs alienæ memet ipſe immiſcuiſſem*[a]. Quicquid enim literis mandetur, id omnium plane lectioni & judicio propoſitum ſemper judicavi, & ſi quid potiſſimum *in re literaria* ab hominibus curioſis in controverſia agitatum, atque in medium ſemel projectum eſſet, id ſane ab homine quovis otioſo & literis dedito minime alienum eſſe putavi. Sin autem, quod magis ſuſpicor, quodque fieri plane perſpicio, id mihi potius crimini vertatur, quod clariſſimi *Meadii* ſententiam mihi impugnandam ſuſceperim[b]; id quidem etſi haud parvo meo periculo factum fateor, quod a tanto Viro diſſentire auſus eſſem; attamen ni petulanter aut iracunde id feciſſe arguerer, cum culpa omnino ulla conjunctum eſſe nego; niſi omnes ſimul omnium temporum eruditos eodem crimine condemnemus, qui inter ſe diſcrepare ac contra diſputare, quotieſcunque res poſtularet, nunquam dubitaverint; nec niſi ejuſmodi contentionibus *verum* unquam inveſtigari, literarumve ſtudia vigere omnino, aut radices agere poſſe exiſtimaverint[c].

Iſtud autem meum opuſculum haud citius in publicum prodiit, quam ad me ſtatim perlatum eſt, reſponſi mihi aliquid parari, nonnulloſque ingenio & doctrina præſtantes, qui contra me ſcriberent, meamque ſententiam refellerent, a *Medicis quibuſdam* delectos jam & deſignatos eſſe: quo quidem nuntio tantum abfuit, ut moleſtiæ mihi aliquid crearetur, ut gaudio potius tacito ac voluptate memet inde affectum ſenſerim. Quippe illud, cum omnibus veri tandem inveſtigandi, tum mihi præſertim, haud multum occupato, honeſtam quandam otii conterendi occaſionem præbiturum eſſe putavi: nam mecum ipſe ab initio plane ſtatueram, aut ſententiam meam, a quocunque impugnata fuerit, defendere ac confirmare, aut ſi ob rationum contra adductarum vim id mihi minus liceret, manus ultro dare, meque victum plane ac deceptum libere & publice confiteri.

---

[a] Reſp. p. 4. [b] Ib. p. 201. It. Animad. br. p. 42. [c] Cic. Tuſc. qu. 2. 2.

Hac igitur expectatione dum plenus, erectuſque ſtabam; prodiere tandem contra *Diſſertationem meam Notæ quædam breves*, ab Anonymo quodam conſcriptæ; leves illæ quidem & futiles, nec dignæ ſane, quæ alio modo a me tractarentur, ac quo ab omnibus eas tractari intellexi, contemptu ſcilicet & neglectu. Senſi enim illico, illas non iſtud eſſe majorum lucubrationum opus, quo ſententiam meam refutandam atque evertendam nonnulli jactitarant; vidi plane tam debilem impetum tanti belli famæ haud quaquam reſpondere; nec *Notulas iſtas* aliud eſſe reputavi, ac Velites quoſdam, leviſve armaturæ milites, in me ante emiſſos, ut me vexarent aliquantulum atque occupatum tenerent, quoad legiones, quæ armorum pondere lentius progredi cogerentur, ad pugnam adeſſent.

Nec me profecto animus fefellit; quippe ſub *Reſponſionis titulo* in lucem tandem venit, etſi longo ſatis intervallo, diu meditatum opus, vel ipſo aſpectu & magnitudine terribile: utpote *Diſſertatiunculam iſtam meam* vel decies circiter paginarum numero exuperans: quaſi auctor noſter, quod alios nonnunquam factitaſſe accepimus, ipſa libri ſui mole & pondere controverſiam penitus omnem delere atque obruere cogitaſſet. Libro autem ipſo in manus ſtatim arrepto, atque avide ſatis perlecto, haud dici facile poteſt, quàm mira illicò expectationis meæ omnis fruſtratio conſecuta eſt: nam vix tantæ molis librum me antea unquam vidiſſe memini, in quo tam pauca aut obſervatu digna aut lectu jucunda inveniſſem: de me vero omnia non niſi acerbe ac malevole dicta animadverti; & quaſi non de re *prorſus levicula*, ſed de *Religionis ipſius veritate* certamen inſtitutum eſſet; ſingula fere minutatim agitata, exaggerata, atque a meo ſæpe ſenſu detorta vidi; ut Auctor non tam ad cauſam aliquam defendendam, quàm ad me accuſandum *Orator* adhibitus videretur: quamvis enim nomen ille ſuum celaviſſet, ſenſi tamen hominem e *Rhetorum turba* conductum eſſe oportere; cui ſcilicet generi conceſſum novimus, omnia *tragicè ornare*, *augere*, *ementiri*[d]*:* is mihi ſolùm ſcrupulus reſtabat, quòd in ejus quidem ſermone nihil planè, quod *Rhetorem oleret*, nihil venuſtatis, nihil ornatùs, ſed inculta potiùs omnia nec ſatis Latina invenirem.

Hujuſmodi itaque Scriptorem haud magis quam alterum illum (cui neutiquam ſanè eum anteferendum cenſeo) cogitatione ulla mea, aut animadverſione dignum judicaſſem; ni hunc potiſſimùm hominem a *Clariſſimo Meadio* ad hoc *Reſpondendi munus* delectum; librumque ipſum *ejuſdem cura & ſumptibus* in lucem emiſſum; amiciſque ſuis *manu propria inſcriptum & dono a Meadio ipſo miſſum* intellexiſſem. Quibus non dubie ad me perlatis, non nihil ipſe commotus, verituſque ne, præ nimia quadam mei ipſius caritate, haud ſatis rectè de Adverſarii mei meritis ſtatuiſſem, librum ejus relegi; in quo quidem etſi quæſtionem ipſam quod attinet, nihil ferè, ut ante dixi, quod refutatione dignum videretur, inveni; cum tamen memet ubique perindè ac in *Notis iſtis brevibus*, tanquam *Calumniatorem*[e], *Criminatorem*, *Malevolum* tractatum videram; idque *tanti viri* judicio comprobatum, ejuſque juſſu ac opera in publicum evulgatum; illud demum mihi ipſi & exiſtimationi meæ deberi arbitrabar, ut opprobria tam indigna refellerem; oſtenderemque ejuſmodi convitia non eos unquam attingere poſſe, qui nominis & famæ reverentia, tanquam pignoribus datis, adſtricti, ad controverſias literarias deſcendunt; ſed *conductitiis* ſolummodo *ſcriptoribus* iſtis convenire, qui exiſtimationis nullum prorſus aut periculum ſubire, aut jacturam facere poſſunt, ſed tenebris atque obſcuritate tecti in quoſvis ſibi deſignatos, quaſi ex inſidiis impetum faciunt, & quamlibet cauſam defendendam, quemlibet hominem lacerandum mercede pactâ ſuſcipiunt.

---

[d] Cic. de Clar. Orat.

[e] Reſp. p. 86, 134, &c.

Hæc dum mecum ipſe meditabar; tertius quidam in publicum prodiit ſub *Animadverſionis brevis*, titulo contra me conſcriptus libellus; quem quidem intellexi ſubito, tum ſtilo, tum Materia conſimili ex *eodem illo Notularum Auctore* profluxiſſe: quippe nihil fere aliud feciſſe *Animadverſor* videtur, ac eadem omnia recoquere, quæ antea diſputarat, ſed nova quadam luce donata, novo ordine diſpoſita, atque ut ei videtur, jocis quibuſdam & ſalibus conditiora. Ego vero, quoniam ſcribendo plane inexpertus homo videtur, hoc ei conſilium dare velim, ut ſeſe poſthac a facetiis abſtineat; hoc, mihi crede, non illi a Natura datum; quam in re omni ducem ſequi oportet: & ſi ex arte ſua victum, laudemve quærere ſtudeat, non ingenii viribus, ſed induſtria penitus & labore rem ei conficiendam video.

In hac vero, quam nunc aggredimur, certatione, propter *Clariſſimi Meadii* nomen atque auctoritatem a me, ut modo dixi, ſuſcepta, ne, ſi alteri reſponderem, alterum vero, nec illum magis quidem indignum, negligerem, injuſtus cuiquam viderer; ſtatui ſane omnibus ſimul, una fere eademque opera reſpondere. Primùm igitur, ut ratione & via quadam procedamus,

damus, *Notas iſtas breves*, quia primæ illæ quidem prodierunt, haud alio plane, ac quo occurrunt, ordine, conſiderare viſum eſt; atque eodem tempore, ſi quæ vel ejuſdem vel conſimilis argumenti in *Reſponſionis Auctore* animadvertero, ea ſimul omnia in unum conferam, atque uno labore abſolvam: deinde ad *Reſponſionis auctorem* me totum convertam, & reliqua omnia, quæ ſibi propria habuerit, ſeparatim perpendam; non immemor interea *Animadverſionis* etiam *brevis*, ſi quid Auctor ejus vel novi, vel notatu digni attulerit; quod rariùs tamen fiet, propterea quod is, ut dixi, haud aliud feciſſe videtur, ac ea, quæ antea dicta eſſent, verbis atque ordine paululum immutatis iterare.

Sed antequam in aciem ipſam deſcendamus, operæ pretium erit, de controverſiæ hujus ſtatu nonnulla breviter præfari, & queſtionem ipſam ita definire, ac limitibus circumſcribere, ut conſtituatur quid & quale ſit id, de quo diſceptamus; quod ni fiat, vagabitur nimis hæc omnis diſputatio, neque certam tandem ullam ſtabilemve ſententiam elicere inde poterimus.

Itaque hoc potiſſimum a lectore animadverſum velim, ea omnia, quæ de *Medicorum Conditione* a me ſunt diſputata, ad eam *Urbis Romæ ætatem*, quæ *Cæſarum temporibus anteceſſit*, referri omnino oportere; hos mihi in *Diſſertatione meâ* controverſiæ hujus terminos conſtitui: per id temporis ſpatium, quòd ſeptingentos circiter annos complectitur, *Medicinam* non niſi a *Peregrinis*, *libertis*, *ſerviſque* penitus adminiſtratam fuiſſe contendo; *Artemque ipſam* tanto in contemptu a *Populo Romano* habitam reperio, ut profeſſio ejus *Civium omnino exiſtimatione indigna* judicaretur; atque eorum adeo ne unum quidem, qui eam unquam attigerit, oſtendi poſſe exiſtimo. Qui verò hanc ſententiam impugnant, ea, quæ de *Medicis Servis* a Veteribus tradita reperiantur, non de *Medicis proprie dictis*, ſed de *Chirurgis*, eiſque ſolummodo, qui inferiores atque operarias Medicinæ partes tractabant, intelligenda prorſus eſſe diſputant: atque hinc alia ſtatim de *Chirurgis* enata quæſtio eſt; videlicet, num iiſdem illis temporibus *Chirurgorum* & *Medicorum* conditio diverſa omnino, aut ab invicem ſejuncta fuerit; numve *Medicæ Artis partitio* ulla tunc temporis facta eſſe appareat. Ego vero, quantum cùm ex Scriptoribus antiquis, tum *Medicis* præſertim noſtrorum temporum eruditiſſimis, qui in hac ipſa cauſa perquirenda quàm maximè elaborarint, inveſtigare ac colligere valuerim; haud ullam *Artis hujus partitionem*, ullamve præſertim *Medicorum & Chirurgorum diſtinctionem* per id omne temporis intervallum fieri reperio; ſed utroſque cum eodem nomine appellari, tum eodem loco & conditione haberi video: quod quidem etſi generatim verum eſſe credo, haud ita tamen verum, quin quod omnibus univerſim enuntiatis accidere ſolet, huic itidem veritati unam alteramve forſitan exceptionem opponi poſſe exiſtimem; neque aliam omnino regulam huic noſtræ quæſtioni conſtitui debere arbitror, ac quam omnibus conſtitutam novimus; videlicet, *res quaſvis ex majori ſemper parte nominari oportere, etiam ſi pars aliqua abeſſet*[f].

Quiſquis igitur hanc meam opinionem ſibi refellendam ſuſcipiet; is primùm terminos huic omni diſputationi poſitos animadvertat & conſideret neceſſe eſt; quæſtionemque ſeſe tractare meminerit, tum loco tum tempore certo definitam & circumſcriptam: nihil attinet in hac cauſa de Medicorum divitiis, honoribus, artiſque dignitate puerorum more & ſine ulla temporum diſtinctione declamare; oſtendat mihi, ſi poterit, *homines aliquot Romanos* in eo temporis ſpatio *Medicæ Artis ſtudio & profeſſione* florentes: oſtendat mihi *Medicos* non nomine modo, ſed conditione atque honore a *Chirurgis diſtin-*

---

[f] Cic. Tuſc. qu. 5.

ctos: atque hoc ſi quis fecerit, tum demum redargui memet & confutari plane fatebor.

Sed ad *Annotatorem* jam *noſtrum* deſcendamus; qui etſi literis iſtis M. D. libelli in fronte adſcriptis, ſeſe tanquam *Medicinæ Doctorem* nobis venditare ſperat, mihi tamen haud facile perſuaſerim, homini tam imperito tamque inepto, *Academias haſce noſtras* honorem unquam iſtum detuliſſe: Crederem potius, ſi quam ex ſtylo ejus conjecturam facere liceat, de *Medicorum iſtorum* grege eum eſſe, qui fora circumire, ex pulpitis perorare, laudeſque ſuas, artiſque gloriam ad populum prædicare ſolent. Etenim quid aliud nobis indicare, quidve aliud olere videtur oratio iſta vehemens ac turgida? Quid aliud illæ repetitæ toties ad populum exclamationes? *Jam illa reputate, quæſo, quæ de Aſclepiade, Medico celebri, memoriæ tradita ſunt*[g]*: legatis, quæſo, locum Plinii de quæſtibus Medicorum*[h]*: videte, quam ingentes Medici Romani confecerint pecuniæ ſummas*[i]*: quæſo locum ipſum inſpicite*[k]*:* utcunque vero de hac re ſtatuamus, hoc unum certiſſimum eſt, in *notis hiſce brevibus* vel ingenii vel modeſtiæ ne minimum quidem ſignum reperiri, niſi quod Auctor nomen ſuum tam induſtriè celaverit, quaſi temeritatis atque ignorantiæ ſuæ conſcius.

Ego vero cum *Diſſertationis meæ* initio dixiſſem, *apud veteres Romanos, per prima aliquot ab Urbe conditâ ſecula, medendi Artem, non modo minùs excultam, ſed ne cognitam quidem eſſe, ex monumentorum omnium ſilentio ſuſpicari nos poſſe.* Exclamat illico *Annotator hicce*[l]; *initium ejus, lectores, advertite. De illorum conditione ſcribere virum doctiſſimum videtis, quos ne fuiſſe quidem ſuſpicatur. Inde poteſtis intelligere quanta ſit ejus in ſcri-*

---

[g] Not. br. p. 8.
[h] Ib. p. 15.
[i] Ib. p. 16.
[k] p. 17.
[l] p. 4.

bendo diligentia & accuratio. Annon vero, *homo acute*, id ſcriptoris quam maxime diligentis, atque accurati eſt, rem in controverſia agitatam ab ipſis fontibus exquirere, ab ipſis primordiis inveſtigare? Annon de Arte Medica, diſputantis; illa quo primùm tempore cognoſci, quo deinde excoli cœperit, exponere?

Sed *omnino gravius Middletoni erratum*, inquit[m], *extemplo licebit agnoſcere, quo tanquam fundamento nititur univerſum opus.* Quod diſputaram ſcilicet, doctorum perplurium auctoritate, *Medicinam Clinicam & Chirurgicam ab eodem homine* ſemper exerceri, nec *Chirurgos* a cæteris *Medicis* antiquitus unquam diſtingui, quippe ex illa de *Medicorum Conditione* diſputatione, aliam, ut ſupra dixi, tanquam e radice enatam vidimus de *Medicinæ partitione* quæſtionem, quam alii certe omnes prioris ejus *appendicem*, ſeu *conſequens* quoddam dicerent, noſter autem hicce *fundamentum* ubique appellat. *Itaque labefactato*, inquit, *ipſius fundamento corruit totum opus*[n]. Sed fundamentorum hicce everſor, videamus jam, quemadmodum opinionem meam refutet.

Et quoniam in hanc diſputationis partem, etſi loco quidem haud ſatis idoneo, incidimus, ne eadem ſæpiùs iterando lectori moleſtus eſſem, huc etiam illa quoque, quæ de eadem re *Reſponſionis Auctor* diſputaverit, conferre viſum eſt; præſertim cum communia fere inter ſe omnia utroſque habere video. Primùm enim utrique ſe *unico Corn. Celſi loco* cauſam hanc omnem expedire, remque conficere poſſe cenſent; quo ſcilicet loco *Celſus* de *Medicinæ partitione, tanquam ſuo tempore Romæ uſitatâ, loqui videtur*[o]. At in omni quæſtione dijudicandâ, quæ certi cujuſdam temporis limitibus continetur, id omnino ſpectandum eſt; non tantum quid de re ipſa in controverſia poſita Auctores tradant, ſed ad quæ potiſſimum tempora eorum verba referri debeant: de *Celſi* autem tempore nihil prorſus *Annotator noſter* attulit; at *Tiberii ætate* eum floruiſſe *Reſponſionis Auctor* dicit[p], de quo tamen inter Auctores haud ſatis conſtare credo; convenit ſolummodo inter omnes eum *Cæſarum temporibus* vixiſſe; quod cum ita ſit, cumque *Celſus* præſertim hoc ipſo loco a Viris eruditis adducto *Medicinæ diviſionem*, utcunque apud alias gentes diù invaluiſſet, at *Romæ* tamen nonniſi ſuo tempore *recentem nec diu uſitatam* indicare plane videtur[q]; hoc ejus teſtimonium, utcunque *luculentulum* atque *opportunum* viris hiſce videatur, haud quicquam tamen contra meam ſententiam probare, nec cauſam fere ipſam attingere ab aliis certe omnibus judicabitur.

---

[m] pag. 4. [n] p. 13. [o] Not. br. p. 6. it. Reſpon. p. 179.

Ego vero, ut quivis facilè conjiciet, haud *Celſi* omnia perlegiſſe præ me fero; mihi ſatis eſſe duco, quòd de *Medicis ipſis* doctiſſimos quoſque ſententiæ meæ auctores habeam, quodque eos omnes, qui in veterum ſcriptis evolvendis quam diligentiſſimè fuerint verſati, eadem hæc omnia de *Medicinæ diviſione* credidiſſe ſemper & diſputaſſe reperiam: *Clericuſque* ille potiſſimùm, qui *totius Artis hiſtoriam* contexuit, quique non unum alterumve *Celſi* locum, ſed omnes ejus libros ad hoc ipſum inveſtigandum perſcrutatus eſt, ſeſe tamen dubitare planè fatetur, an *Medicæ Artis partitio Celſi adhuc ætate re vera facta & in uſu omnino Romæ fuerit.*

Hoc autem in loco *Reſponſionis Auctor* mirum ſane nobis tum ingenii, tum modeſtiæ ſuæ ſpecimen præbet, qui mihi, uti alias ſæpe videbimus, *Clerici* locum iſtum corrumpendi atque ad ſenſus meos detorquendi crimen objicit; quippe *Clericum* non modo *de Medicinæ partitione iſtâ nihil dubitare*, ſed *contrarium planè* ex ejus verbis colligi poſſe fidenter atque apertè affirmat[r]. Ego vero contra; nullam mihi fidem nec in hac, nec alia quâvis causâ habendam poſco, ni ex *Clerici* tum verbis tum ſententiâ illud ipſum, quod dixeram, ſignificari penitus appareat. *Clericus* enim, poſtquam ex *Celſi* verbis, ſenſuque, *Medicinæ in tres partes diviſionem* explicuiſſet, ita denique concludit: *Soit que la choſe ſe pratiquât effectivement ainſi de ſon temps; ſoit qu'il ait voulu ſimplement marquer comme elle devoit aller*[s]. Quod ita quidem vertere licet; *ſive tamen Celſi ætate partitio iſta reverà ita in uſu fuerit; ſive id tantummodo in animo Celſus habuerit, ut ſignificaret, quemadmodum ea fieri debuiſſet*, atque hanc, ut memini, dubitationis ſuæ rationem *Clericus* adjungit, quòd eam adhuc conſuetudinem, vel *poſt Celſum*, in uſu manſiſſe invenerat, ut omnes ſimul *Medicinæ* partes a *ſingulis Medicis* unà exercerentur. Itaque ſi *Celſi auctoritas* in hac quæſtione aut nihil, aut parum valere poterit; multo certe minus Galenus, quem poſterius vixiſſe novimus, quemque alterum ſententiæ ſuæ auctorem noſter hicce adducit ad hanc omnino cauſam advocandus erit: quod quidem videre, & concedere plane *Reſponſionis Auctorem* ſentio[t]. Galeni igitur teſtimonio contra opinionem meam prolato, nihil opus eſt, ut quicquam prorſus reſpondeam.

---

[p] Reſp. p. 162. [q] Ac Romæ quoque non mediocres Profeſſores, maximeque nuper Tryphon, &c.

Pergit autem oſtendere Vir acutus, quam *opinioni ipſe adverſer meæ*[u], qui *Archagathum illum*, quem primùm Medicinæ exercendæ causâ Romam veniſſe legimus, *Chirurgum* fuiſſe confitear. Ego verò quidni *Archagathum Chirurgum* appellem, qui non eum ſolum, ſed *Medicos etiam omnes*, quotquot *Romæ* deinceps vel aliquot poſt ſeculis artem ſuam exercuerint, *Chirurgos* fuiſſe, omneſque ſimul Medicinæ partes ſemper tractaſſe contendo, multiſque exemplis probavi: quodque *Archagathus* iſte vulnera curaſſe dicitur, id ſententiam meam non evertere certè, ſed confirmare potius judicabitur; niſi ex priori, ut aiunt, eſſet demonſtratum, eos, qui *Chirurgicam Medicinæ partem* tractare ſolerent, nullam unquam aliam omnino attigiſſe.

---

[r] Reſp. p. 190.

[s] Vid. Reſp. p. 191.

[t] Reſp. p. 185.

[u] Not. br. p. 8.

Sed idem hocce de *Archagatho* argumentum pluribus etiam perſequitur *Reſponſionis Auctor*; dicitque ſibi perſpicuum videri, eum *nil niſi Chirurgiam* exercuiſſe, propterea quod a *Plinio vulnerarius* appelletur[w]: quaſi nomen iſtud non idcirco adipiſci potuiſſet, quod *vulnerum præcipue curationi* ſeſe applicuiſſet, quodque eis magis quàm *morbis medendis* peritus ac expertus habebatur; utpote qui partem eam, in *Urbe* ſcilicet *bellicosâ*, reliquis forſitan pluris æſtimari obſervaſſet. Cum vero propter *Archagathi* hujus in vulneribus curandis ſævitiam, & *artem ipſam & omnes medicos in tædium cito tranſiiſſe* diſcimus; cauſam ſane nullam, quamobrem id fieret, videre queo; ni illis quoque temporibus *cæteri* etiam *Medici* eodem planè modo artem ſuam exercuiſſent & quod *Archagathum* feciſſe contendo, *reliquas ſimul Medicinæ partes unà* cum *Chirurgicâ* omnes adminiſtraſſent.

At *Aſclepiadem* denique *Medicum*, *Pompeii ætate* celeberrimum *Chirurgiam* omnino non attigiſſe *Annotator noſter* affirmat; *idque librorum*[x] *ejus inſcriptionibus* declarari ait; propterea quod inter opera ejus, quorum tituli ſolummodo aliquot nobis jam reſtant, nihil omnino *de Chirurgia* ab eo ſcripti memoriæ proditur : atque hoc idem à *Reſponſionis quoque Auctore* diſputatum videmus[y]. Præclarum ſane Argumentum! quod vix alius, præter *hoc eruditorum par nobile*, excogitare unquam potuiſſet: *Aſclepiades nihil de re Chirurgica aut ſcripti reliquit, aut quod reliquiſſet, periit*; *ergo Chirurgiam non omnino attigit.* Sed non vident Viri ingenioſi, *Aſclepiadem* dum *Chirurgum* fuiſſe negant, at *Pharmacopolam* ſaltem fuiſſe, eodem illo Argumento concedant neceſſe eſt; ſcilicet quod de *medicamentorum compoſitione* eum ſcripſiſſefateantur. *Aſclepiades* vero ipſe, cum *in Anginis curandis* novam quandam curandi rationem inſtituiſſe traditur[z], a *Chirurgica artis parte* non omnino manus abſtinuiſſe videtur.

---

[w] Reſp. p. 182.

[x] Not. br. p. 10.

Annotator autem *noſter* tanquam rem omnino claram, certamque eſſe demonſtraſſet, hanc tandem concluſionem ex præmiſſis iſtis elicit: *Ergo fuit*, inquit[a], *Romæ Aſclepiades Medicus Clinicus*, nec *Chirurgiam omnino attingens*; *Archagathus vero Chirurgus*, nec *reliquam Medicinam tractans*; etiam *ante Imperatorum tempora.* Ego vero ſi hiſce ineptiis quicquam ſerio reſpondere aggrederer, memet ſane, vel hominibus hiſce ipſis inſipientiorem cenſeri deberi judicarem.

Sed ad reliqua convellenda homo progreditur; & *neque minus*, inquit, *id Middletoni erratum eſt*, *ubi ex Mercurialis auctoritate*, *omnes Medicos uſque ad Galeni tempora*, *ſua medicamenta paraſſe ait*[b]. Ubi candoris, æquitatiſquc ejus ſpecimen obiter notare libet; non contentus enim meos omnes errores inſectari, aliorum mihi errata imputat; & cum *Mercurialis*, viri eruditiſſimi

---

[y] Reſp. p. 197.

[z] Plin. Hiſt. Not. l. 26. 3.

[a] Not. br. p. 10.

[b] Not. br. p. 12.

I verba,

verba, ſententiamque exhibuiſſem, non minus me erràſſe dicit, quàm ſi ex meipſo eſſem locutus, meoſque penitus ſenſus protuliſſem. *Mercurialem* verò *Plinii* ipſe teſtimonio refellere conatur[c], quo loco *Plinius Medicos* quidem ſeverè reprehendit, quod a *Medicaminibus conficiendis, quod proprium eſſe Medicinæ ſolebat*, *ſeſe abſtinere cœpiſſent*, & *præ medicamentorum ignorantia, quorum vel nomina pars major ignorabat*, *ab aliis emplaſtra & collyria mercari coacti eſſent*. Hæc autem verba haud ſatis attendit *Vir doctus*, quàm contra ſuam ipſius diſputationem faciant, dum probant *Medicos* vel iis temporibus *Chirurgorum* munere aliquo fungi, atque *emplaſtra* & *collyria*, utcunque ab aliis facta & parata, ſuis tamen manibus tractare, atque ad uſus deſtinatos applicare ſolere. Cum autem *Plinius* ipſe *Galenum* haud longè ætate anteceſſit; hæc ejus verba *Mercurialis* itidem opinionem confirmare potius quàm evertere videntur, præſertim, ſi ut omnia generatim dicta intelligi debent, eam non nimis ſeverè ac reſtrictè accipiamus: quod quidem a *Reſponſionis* etiam *Auctore* conceſſum planè animadverto[d].

Antequam vero hanc de *Medicinæ partitione* diſputationem concludamus; ego ſanè, qui nec in hac, nec in aliâ quâvis quæſtione aliud mihi propoſitum habeam, ac quod verum, aut veri ſaltem ſimillimum ſit, inveſtigare, nequeo hic diſſimulare, *Reſponſionis* illum, atque *Animadverſionis brevis* Auctorem, locum quendam *Ciceronis* adduxiſſe, qui ad cauſam ſuam haud parum valere videtur[e]: quod idem ſane alias etiam, nec minus quidem liberè faterer, ſi quid apud eos ſolidi unquam aut probabilis inveniſſem. Atque hunc ipſum locum ego quidem poſt *Diſſertationem* meam editam obſervaram, cumque amicis communicaram; quo ſcilicet indicare *Cicero* videtur, *medendi artem* vel *ſua ætate* in *diverſas partes* diſtribui, *ſingulaſque a ſingulis* interdum adminiſtrari ſolere: quod quidem etſi non ſatis perſpicuum ſit, utrum de *Medicina*, uti tunc *in Græcia*, an uti *Romæ* exercebatur, accipiendum ſit; conceſſo, tamen ad *Medicos* potius *Romæ degentes* id pertinere; at non inde tamen ſequitur morem illum *universè* ac *generatim* tunc obtinuiſſe, ſed aliquatenus ſolummodo proceſſiſſe; quod tum ex eis, quæ in *Diſſertatione mea* dixeram, tum innumeris aliis Auctorum veterum locis probari facile poterit.

---

[c] p. 13.

[d] Reſp. p. 187.

[e] Reſp. p. 182. it. Animad. br. p. 39. verba Ciceronis hæc ſunt. Tum Craſſus, Non in hac, inquit, una re, Catule, ſed in aliis etiam compluribus, diſtributione partium, ac ſeparatione, magnitudines ſunt artium diminutæ. An Tu exiſtimas, cum eſſet Hippocrates ille Cous, fuiſſe tum alios Medicos, qui morbis; alios qui vulneribus: alios qui oculis mederentur? De Orat. l. 3. 33.

Quod autem magis ad rem noſtram eſt; ex hoc eodem loco videre poſſumus, quàm longe aliter *Cicero* de vera *Medicorum* laude ac præſtantiâ, ac illi, quibuſcum rem habemus, judicaverit: *noſtri* enim *Medicorum propugnatores* eos tantum *ſervilis*[f] atque *abjectæ ſortis* fuiſſe aſſerunt, qui *omnes ſimul medicinæ partes, morborum* ſcilicet *vulnerumque* curationes una profiterentur[g]; *Inſignes autem viros, ac arte celebratos uni tantùm parti ſe totos addixiſſe*——itaque *Clinicum* ſolummodo *Medicum* fabulæ ſuæ *Heroem* conſtituunt; eum ſolum & virum magnum & *Medici nomine* dignum judicant: ſiquis vero *Chirurgiam* vel digito attigerit: de *Medicorum* ſtatim claſſe ac profeſſione dejiciunt. At *Ciceronem* contra, quàm longe diverſa & contraria plane omnia de Medicorum dignitate ſenſiſſe videmus? qui *hac medicinæ partitione* artem ipſam diſcerptam, ejuſque *laudem* & *magnitudinem imminutam* indicat; nec ſe eos in *medicis magnis* atque *excellentibus* numerare oſtendit, qui vel *morborum* vel *vulnerum medicinam ſeparatim* atque *unicè* profiterentur, ſed qui, *Hippocratis exemplo, nullam medicinæ partem* negligentes, aliiſve ſigillatim exercendam relinquentes, *univerſam ſimul artem* complexi atque unà profeſſi fuerint: cumque hæc ab eo dici cernimus, qui eodem illo libro *Aſclepiadem,* uti *Medicum eximium* atque *amicum ſuum* laudaverit; nonne veriſimile inde videtur *Aſclepiadem ipſum* de eorum numero eſſe, qui non *excerptam aliquam medicinæ partem,* ſed qui *univerſam* eſſent profeſſi.

---

[f] Reſp. p. 193.

[g] Ib. p. 222.

Utcunque vero *Medicorum & Chirurgorum* disjuncta & propria fuiſſe munera confiteamur, (quod tamen non generatim verum eſſe certiſſimum eſt) nullo tamen modo ſequitur, *diverſas* proptereà eorum *conditiones,* aut *vitæ ſortes* fuiſſe; ſed in eo ſaltem temporis ſpatio, intra quod hanc noſtram diſputationem concluſimus, ejuſdem certe loci atque ordinis utroſque ſemper habitos eſſe apparet; ni in *Urbe,* ut ſupra dixi, *bellicoſa* veriſimile magis videatur, *Chirurgos* ſeu *vulnerum medicos* majori potius in pretio fuiſſe: ex omnibus enim *Romanorum Veterum Medicis* duos potiſſimum Auctores noſtri ſecernunt, quos *veros* ac *Germanos Chirurgos* fuiſſe affirmant, *Archagathum,* atque *Alcontem*; eum, quod *Vulnerarius*; hunc, quod *vulnerum Medicus* dicitur[h]: quorum alteri tantos ſane honores, quantos nulli unquam *Medico, ante Cæſarum ætatem,* habitos cognovimus; *Civitatem datam, tabernamque publice emptam:* Alter vero, ſub *Claudio Imperatore,* in eorum numero a *Plinio* celebratur, qui maximos atque incredibiles fere quæſtus ex arte ſua confeciſſent. Habeant igitur homines noſtri, ſi velint, quod tantopere contendunt, *iſtos* ſcilicet *duos, vere ac proprie Chirurgos* fuiſſe; hoc tamen nobis concedere neceſſe erit, eos, ſi non majori, at pari ſaltem cum *cæteris Medicis* honore fuiſſe.

---

[h] Plin. Hiſt. N. l. 29. 1.

Sed de *Medicæ artis partitione* jam ſatis dictum opinor; ad ea igitur pergamus, quæ de ipſa Quæſtionis ſumma, de *ſervili* ſcilicet *Medicorum conditione Annotator hicce* diſputat. Atque hic conqueri eum graviter, meque inſimulare video; quod *Medicos malitiosè deprimere ſtuderem*[i]; quod, *ſiquid in eos congerere poſſem, de veritate non eſſem ſollicitus*[k]. Quod, *quæ de humillimas Medicinæ partes tractantibus dicta uſquam reperiſſem, in univerſos artis Profeſſores tranſtuliſſem*[l]: quòd, *ea de Medicis generatim aſſeruiſſem*, quæ[m] *non de Medicis Clinicis, nec Chirurgis quidem bonis, ſed de Phlebotomis ſolummodo, Auriculariis, Herniariis, reunctoribus, enematumvè adminiſtratoribus* intelligi debere contendit.

Ego verò contra; etſi de *Medicis Veteribus* alios aliis longe præſtitiſſe ſciam: Utque inter *Annotatorem*, qui *Medicinæ ſeſe Doctorem* jactitat, ſcriptis verò Artem dedecorat, *Principeſque illos viros*, qui non *Arti ſuæ* ſolummodo, ſed *genti* etiam *toti* ſcriptis ſuis gloriam afferunt, immane quiddam diſcrepare videmus; ita *Romæ* quoque nonnullos olim tum ſcientiâ, tum famâ, magnorumque familiaritate cæteris omnibus antecelluiſſe neceſſe eſt: hos tamen univerſos, cùm doctos, tùm indoctos, cùm ſummos, tùm infimos, abſque ullâ exceptione, *Græcos* certè aut *Peregrinos*, ſed maximam longè partem *Servos & Libertos* fuiſſe, affirmare haud dubitaverim.

Etenim num omnino cuiquam credibile videri poteſt, magnos illos *Reipublicæ Romanæ Principes*, quos *Medicos Servos* in familiis ſuis ſemper habuiſſe cognovimus, non *Artis peritiſſimos quoſque* ex Aſiâ, Græciâve conquiſiviſſe, ſed *Auricularium* ſolummodo, vel *reunctorem* aliquem domi apud ſe tenuiſſe? Num *Conſules* ac *Imperatores*, quos *Medicos Servos* ſecum ſemper in provincias eduxiſſe legimus, *Phlebotomo* alicui vel *Unguentario* valetudinem ſuam commiſiſſe putandum eſt? Num denique veriſimile eſt, *Cæſarem Auguſtum*, cum *Germanico* in acie militanti *Medicum Servum unà cum C. Caligula* tunc infantulo mitteret, *enematum* ſolummndo *adminiſtratorem*, annon *Medicum* potius gravem, fide & ſcientiâ præſtantem, de *Servis ſuis* miſiſſe? De hoc ſane neminem præter hunc Annotatorem dubitare poſſe certò ſcio.

---

[i] Not. br. p. 23.
[k] Ib. 13.
[l] Ib. 14.
[m] Ib. 17.

Ille vero huic meæ diſputationi *Aſclepiadis Medici* famam & dignitatem opponit. *Reputate, quæſo*, inquit, *quantus vir fuit Aſclepiades*[n] *quantam apud ſummos viros auctoritatem ſit conſecutus; adeo ut non gravaretur ille Romanæ eloquentiæ Princeps Cicero, cum, ut amicum ſuum concelebrare. Qui quidem honos ſummus haberi poſſet; ni major etiam ipſi contigiſſet: etenim a Mithridate, maximo Rege ſolicitatus eſt, ut ad illum veniret.* En verò alterum hominis ſpecimen! qui *Ciceronis* amicitiæ & familiaritati, lucrum, ſtipendiumque a *Rege barbaro* oblatum honore anteponit. Sed *Aſclepiadem* longè aliter ſenſiſſe videmus, qui maluit, in illa Urbis luce, laude & gratia apud *Optimates*, quàm apud *Mithridatem* opibus florere. *Aſclepiadis* autem hujus honores, utcunque magnos eos fuiſſe concedamus, ad hanc tamen cauſam nequaquam pertinere contendo: de ejus enim conditione nihil fere memoriæ traditum habemus, niſi quòd *e leviſſima gente, & ſine ullis opibus, ex Rhetore Medicus evaſerit*[o]: & quantuſcunque demum fuerit, nec nominis famâ, nec honoribus, vitæque ſplendore cum *Antonio Muſa* conferendum exiſtimo: quem tamen *ſervum* fuiſſe cognoſcimus; atque *Aſclepiadem*

---

[n] Not. br. p. 8, 9.

[o] Plin. Hiſt. Not. l. 26. 3.

dem igitur niſi *hominem Romanum*, niſi non *ſervum*, nec *Græcum* fuiſſe *Auctor noſter* probaverit, nihil omnino contra meam ſententiam diſputare a viris doctis cenſebitur.

Neque illa minùs futilia, minuſve ab hac omni quæſtione aliena, quæ de *Artis Medicæ fructu* olim ingenti, *opibuſque Profeſſorum* homo eruditus diſſerit. *Legatis quæſo*, inquit, *locum Plinii de quæſtubus medicorum*[p]*:* quaſi de *divitiis*, & non de *conditione Medicorum* diſputatio noſtra inſtituta eſſet: nos autem, ut ait *Cicero*[q], *neque divitiæ movent, quibus omnes Africanos & Lælios multi Venalitii & Mercatores ſuperarunt.* Sed noſter hicce cum *Medicos ſuos divites* fuiſſe oſtenderit, omnia ſe probaſſe putat; nec ſcire planè videtur, quod *Romæ* ſæpiſſime contigiſſe legimus, magnorum ſcilicet Virorum tum *Libertos*, tum *Servos*, qui apud Dominos ſuos gratiâ florerent, ingentes ſibi opes ac poteſtatem adipiſci ſolere: quorum nonnullis *vel Prætoria interdum Ornamenta decerni legimus; tantùmque non cum laureatis faſcibus remitti illo, unde cretatis pedibus adveniſſent*[r]; De quo quidem argumento, librum me alicubi vidiſſe memini, de *eis* ſcilicet *Servis* conſcriptum; qui ſummam ſibi auctoritatem, immenſaſque divitias ex *Servitute* confeciſſe a Veteribus memorantur, *Pliniuſque*, in celebri illâ ad *Trajanum Oratione*, non dubitat dicere, *Imperatores ipſos, cum eſſent Civium domini, libertorum tamen fuiſſe ſervos.* Quid igitur, Vir ingenioſe, de his tantis Viris conſtituendum putas? Annon in *Servorum & Libertorum* propterea grege numerandos cenſes, quod gratia, opibus, auctoritate eos floruiſſe accepimus? Numve eadem planè omnia de *Divite tuo* cogitas, quæ *Stoici de Sapiente ſuo* jactitant, eum videlicet vel ex *infima ſorte Nobilem*; vel *in Servitute Liberum* eſſe.

---

[p] Not. br. p. 15.

[q] Orator.

[r] Plin. Hiſt. Not. l. 35. 18.

Vides jam opinor, aut ſi tu quidem minùs, at alii certe omnes vident *Notarum tuarum* futilitatem: Ego *Medicos Romæ degentes*, præſertim *ante Cæſarum ætatem*, aut *Servos* aut *Libertos*, aut *Peregrinos* ſaltem omnes fuiſſe diſputo. Tu verò, qui *fundamenta mea* labefactas, qui me *Calumniatorem* appellas, quid tandem contra affers? at contra *legatis quæſo*, inquis, *locum Plinii de quæſtubus Medicorum*. Nihil ſcilicet aliud oſtendere conaris, ac *Medicorum* nonnullos *Artis famâ* floruiſſe, *magnos quæſtus* feciſſe, *Optimatibus caros* fuiſſe, idque non niſi *Cæſarum temporibus*; quæ tibi omnia, abſque ullo cauſæ meæ detrimento, lubens concedere poſſum.

Sed commoveri jam atque iraſci planè hominem video, quòd *Sexaginta Solidos* pretium olim fuiſſe *Medicis ſervis à jure Civili* conſtitutum obſervaſſem: exclamat illicò, *an vobis hoc credibile eſt*[f]*? an quemquam ex Romanis creditis tam amentem fore, ut tantum hominem tam parvo pretio venderet?* credere ſcilicet videtur *Vir doctus*, atque *Antiquitatis tantopere intelligens*, me de *noſtris* omnino *ſolidis* eſſe locutum; clauſulamque illam, quam in Syngraphis adjungi viderat, hic quoque ſubintelligi debere exiſtimat; videlicet, *bonæ & legalis monetæ Angliæ*——Ut verò hanc ei moleſtiam aliquatenùs minuam, nec tàm acerbè poſthac ferat *Artis ſuæ profeſſores* tantulo olim veniſſe; ſcire eum velim quicquid de *ſolidis iſtis* dixeram, de *Romanis prorſus ſolidis* eſſe intelligendum; quorum ſingulos, ut nonnulli, atque optimi illi quidem Auctores, tradunt, *Sexdecim* circiter de noſtris pretio æquaſſe reperio[t].

At majores adhuc *Medicus noſter* clamores ciet, proptereà quod *Medicinæ profeſſionem Civis Romani gravitate ſeu exiſtimatione*

---

[f] Not. br. p. 16.

[t] Vid. *Arbuthnot* of Coins, &c. p. 163.

indignam, Plinio Auctore[u] *aſſeruiſſem. Quippe id,* inquit, *à ſolo Middletono apud Plinium legitur*[w]. *De indignitate autem Artis, apud Plinium nè verbum quidem ullum eſt; ſed eam vocem* INDIGNAM *ad Plinii verba à bono Theologo adtextam videtis, quo vobis fucum faceret.* Atque eadem ferè omnia de hoc *Plinii* loco poſt *Annotatorem noſtrum* iterat egregius iſte *Reſponſionis Auctor*; miraturque *Middletonum curam attentiorem in Scriptis Veterum citandis atque explicandis non adhibuiſſe. Non enim,* inquit[x], *dicit Plinius (ut ille nobis perſuadere ſtudet) medendi Artem Romanos gravitate ſuâ indignam judicaſſe; nec qui eam attigerint, tanquam ad Græcos transfugas fuiſſe habitos. Neque vox* indignam *hic legitur, neque Voces, ad* Græcos transfugæ, *eo ſenſu dicuntur quem is confingit.* Quantum in utriſque conſenſum, quantam in me criminando concordiam videmus? Ego vero tantorum virorum conjunctos ſimul impetus haud unquam ſuſtinere potero. Itane vero *Viri ingenioſi?* nihilne dicitis de *Medicinæ indignitate* apud *Plinium* reperiri? Quid igitur ſtatuendum putatis, non dicam de *bono Theologo*, ſed de *bonis iſtis Medicis*[y], qui Artis ſuæ defenſionem *contra Plinium ipſum* ſuſceperunt; qui de *Artis,* inquam, *dignitate* libros aliquot contra Plinium ſcripſerunt? annon illos eadem omnia, ac *Middletonum, de Artis indignitate* apud eum legiſſe creditis? An eos quoque *voces finxiſſe* dicetis? Numve Vos tandem ſoli, *tales ſtulti, bardique* (ut *Annotatoris* verbis utar) reperiemini, ut quod alii omnes facilè vident, nec videre nec intelligere poteritis? Sed exclametis licet, quantùm volueritis; Ego contra contendo atque affirmo, *Plinium* hoc ipſo in loco aſſerere, *Romanos* propterea *medendi Artem* neglexiſſe, nec ad eam exercendam ullo quæſtu allici potuiſſe, quod *gravitate ſua indignam* eam judicarint: pauciſſimoſque illos qui *Plinii tandem ætate* ad eadem ſeſe applicuiſſent, ad *Græcos tranſfugere,* id eſt, à *Græcis hominibus* artis præcepta petere, & vel *Græcè* loqui, ſcribere, præſcriptaque Medica tradere fuiſſe coactos: quippe cum *Romæ* ab ipſis Artis primordiis, *Medicinæ omnis adminiſtratio* non niſi *Græcorum in manibus* verſata eſſet; nulla planè Auctoritas aliter ac *Græcè eam tractantibus* etiam apud imperitos erat.

---

[u] Solam hanc Græcarum Artium nondum exercet Romana Gravitas in tanto fructu. Pauciſſimi Quiritium attigere, & ipſi ſtatim ad Græcos transfugæ: imo vero auctoritas aliter quàm Græcè eam tractantibus etiam apud imperitos experteſque linguæ non eſt. Plin. Hiſt. l. 29. 1.

[w] Not. br. p. 18.

[x] Reſp. p. 49.

[y] Jo. Fileſacus. Medicinæ defenſio adverſus Plinium majorem 8vo. Par. 1618. it. G. Kirſtenius de Medicinæ dignitate contra Plinium & Platonem 4to Stetini 1647.

Romanos *autem homines* artium certè *Græcarum,* quàm maximè cupidos, atque avidos planè fuiſſe cognovimus; & quicquid *Græcia* habuerit quod *omnino expetendum eſſet, id ſtudio & induſtria ſua ad ſe ſtatim tranſtuliſſe*[z]*:* eoque præterea ingenio fuiſſe; ut omnia *conſequi potuiſſent, ut primum velle cæpiſſent*; nec conſequi ſolummodo: ſed à *Græcis ipſis accepta vel meliora etiam & perfectiora facere ſolere, ſiquæ,* ut ait *Cicero*[a], *digna ſtatuiſſent in quibus elaborarent.* Itaque cum ex omnibus *Græcorum Artibus, Medicinam ſolam* eos neglexiſſe cernimus; quam aliam cauſam probabilem, vel omnino ullam excogitare aut fingere poſſumus, niſi quod *Civibus ſuis* nec *expetendam* nec *gravitate ſua dignam* judicarint; quod *Plinius* profecto hoc ipſo in loco verbis nullo modo dubiis aut obſcuris declarat, cum dicat, *Hanc ſolam Artium Græcarum Romanam gravitatem vel tanto in fructu nunquam attigiſſe.* Itaque vox illa INDIGNAM quam Vos tantopere ſtomachamini, etſi in *Plinii* quidem verbis non reperiatur, ad ſententiam tamen conſtituendam neceſſario requiritur: neque de voculis ego Auctorum, ſed de ſenſibus omnino diſputandum eſſe cenſeo: veſtramque loci hujus interpretationem, nec *Plinii* mentem attingere nec ſenſum plane ullum continere dico. Quod dicit autem *Reſponſionis Auctor* voces eas, *ad Græcos Transfugæ*, non eo ſenſu accipi debere, quem ego confinxeram; ego ſane quid ſibi velit, non intelligo; niſi quòd calumniandi occaſionem, cum nulla prorſus fuerit oblata, arripere ſtudeat; quippe ego *vocibus iſtis* nullam omnino interpretationem ſenſumve meum dederam, ſed nudas eas ſolummodo, ut in *Plinio* legantur, protuleram.

---

[z] Cic. Tuſc. q. 2. 2.

[a] Ib. 1. 1. it. Ib. 4. 2.

Atqui ad unicum jam libelli hujus locum devenimus, quo me cum aliquâ veritatis ſpecie aut ratione probabili premere atque urgere *Annotator* videtur: ſcilicet quod *Suetonii* locum quendam ad cauſam meam detorſiſſem, & tum verba, tum ſenſus, aliter ac in Auctore eo reperiuntur, dediſſem; quod an *incuriæ* ſeu *malitiæ potiùs meæ* tribuendum ſit, poſtquam pauliſper dubitaverit, *malitiæ* ſtatim & *illi ſummæ* quidem aſſignat; *meque falſitatè aperta incautos circumvenire in animo habuiſſe* inſimulat[b]. Quis autem, præter *Medicaſtrum huncce*, *malitiæ exercendæ* cauſam, aut locum quidem ullum hac in re invenire potuiſſet? etenim hoc *Suetonii teſtimonium* ſi de *Diſſertatione mea* penitùs tolleretur, num claudicaret ideo quæſtio noſtra? numve detrimenti omnino quicquam caperet? quid ſi hoc in loco *Medicos* in *Peregrinis* & non in *Servitiis* numerari fatendum ſit? id num *Annotatoris cauſæ* omnino inſervit? num meam debilitat; qui *Medicos*, partim *Servos*, partim *Libertos*, omnes tamen *Peregrinos* fuiſſe diſputo? Si ex his, inquam, verbis *Medicos* de *Servorum grege* fuiſſe minùs probetur; nonne ex aliis permultis *ejuſdem Suetonii* locis *Servos eos fuiſſe* aperte demonſtratur? itaque fatui plane hominis fuiſſet, malitiam ibi adhibere, ubi detecta infamiam certam inureret, celata vero nihil prorſus ad controverſiæ ſummam conferret. Sicut autem *a malitiæ*, ita vellem ſanè ab *incuriæ* & *negligentiæ* crimine memet æque defendere poſſem: ſed ut fatear planè quod res eſt; cum duos ad eandem rem Auctores in *Commentariolis notatos* haberem; unum quidem, qui totidem planè verbis id quod poſueram, ſignificaret; alterum vero, qui eidem aliquo modo favere, atque ex parte declarare videretur; quemque idcirco notaram, nec verba tamen ejus deſcripſeram; præ nimiâ tandem feſtinatione & negligentiâ Auctores ipſos adire omittens, nec pluribus in re unâ teſtibus opus eſſe putans, eum quem minùs oportuit, *Suetonium* ſcilicet *Oroſii loco* ad cauſam meam adhibui: quod *Reſponſionis* quidem *Auctor*, mihi licet aliàs haud ſatis æquus, hoc tamen in loco fieri neceſſe eſſe agnoſcit[c]. Id vero in re tam apertâ, tamque parum ad controverſiæ ſummam pertinente, an *incuriæ* ſeu *malitiæ* potiùs tribuendum ſit, haud opus eſt pluribus oſtendere: illud tantummodo dicam; quod etſi plures etiam hujuſmodi errores in *Scriptorum verbis exponendis Auctores noſtri* aliàs ſæpe, idque ſatis fidenter mihi objiciant, illos tamen, quoties exemplis rem illuſtrare aggredientur, inſcitiæ toties ſuæ aut malitiæ Argumenta præbituros.

---

[b] Not. br. p. 19.

Annotator autem *noſter*, tanquam cauſam jam omnem expediiſſet, controverſiamque penitùs abſolviſſet; *Minimi*, inquit, *momenti ſunt reliqua, quæ a Middletono prolata ſunt*, &c.[d] & *permulta talia ſunt, quæ vos ipſi nè quidem digna refutatione cenſebitis*[e]. At nullius igitur ponderis eſſe credis, tot illa Scriptorum veterum teſtimonia, quæ *Medicos Romæ degentes*, *Servos* maximam partem fuiſſe clare atque aperte declarant? num minimi momenti eſſe, nec refutatione quidem digna putas, tot illa *genuinæ*

---

[c] Reſp. p. 81.

[d] Not. br. p. 19.

[e] Ib. p. 23.

vetuſtatis monumenta, tot *antiquas inſcriptiones,* quæ plurima nobis *Medicorum Servorum* nomina ad hæc uſque tempora conſervant? numve illa omnia minus propterea Auctoritatis apud lectores habitura exiſtimas, quod ad ea Tu ne verbum quidem unum reſpondere fueris dignatus?

Pergit tamen more ſuo, *Vir egregius, ad aliam,* uti ait[f], *Middletoni calumniam refellendam, qui negat, Medicinam inter liberales artes apud Romanos haberi:* ad *Middletonum* igitur redarguendum loca quædam *è Jure Civili* profert, quæ probant, non id quidem ullo modo quod oportuit, *Medicinam* ſcilicet *in Artibus Liberalibus* numerari; ſed illud ſolummodo, quod omnes ſcimus, & concedimus, videlicet, *Medendi Artem* juxta ac *Artes Liberales* immunitatibus & privilegiis ab *Imperatoribus* tandem auctam & munitam fuiſſe. Atque hæc dum ſcribit, videt ille quidem, quam nihil prorſus ad ſuam cauſam pertineant, & fateri aperte cogitur, *Artem Medicam*[g] a *reliquis Artibus Liberalibus quodammodo ſegregari & diſtingui; eamque apud Veteres non tam in ſtudiis liberalibus, quæ ab ingenuis colebantur, quam in Artibus neceſſariis haberi:* quis autem hominem unquam tam petulantem, tamque abſurdum ſimul vidit; qui argumenti ſui initio *Middletoni calumniam* id eſſe dicit, quod antequam locum ipſum dimittat, *verum* omnino eſſe agnoſcit? nec quicquam ſane hoc in loco acutius meliuſve ſeſe geſſit *Reſponſionis Auctor,* ſed eadem fere omnia protulit; & poſtquam contra ſententiam meam, idque multis quidem verbis, diſputaverit; fatetur tandem per *Artes Liberales* eas præcipue ab Auctoribus intelligi, *quibus ingenui pueri in ſcholis inſtitui ſolebant; nec niſi poſterioribus ſeculis Juriſconſultos tam lato ſenſu Liberales Artes accepiſſe, ut Medicinam quoque eo nomine complecterentur*[h]. Sed de hoc omni *Artium Liberalium* genere alium mox dicendi locum, atque eum magis quidem opportunum, habebimus; cum *Rhetorem noſtrum* in *Cicerone* ad ſuam hac in re ſententiam interpretando, turpiter lapſum demonſtrabimus.

---

[f] Ib. p. 20.

[g] Not. br. p. 22.

[h] Reſp. p. 74.

Annotator autem interea, tanquam Victor e certamine rediens, triumphum plane agere, & *Middletonum* currum ſuum ſequentem, cateniſque vinctum *Medicis ſuis* oſtentare ſibi videtur. *Jam ſatis demonſtratum*, exclamat, *quàm futilia atque etiam falſa pro gravibus & certiſſimis argumentis habuerit Middletonus; quàmque facilè refutentur ea, quæ in Medicos tanto ſtudio congeſſit. Etenim teſtimonia ejus præcipua, vel Clinicos quos deprimere tantopere ſtudet, minime attingentia, vel omnino per incuriam depravata, per malitiamve ficta, vel denique Veterum teſtimoniis certiſſimis contraria deprehendiſtis*[i]. Hujuſmodi autem exclamationibus, haud ſane expectandum erit, ut quidquam omnino reſpondeam; cum nihil certe aliud requiritur ad vanitatem hominis oſtendendam, quam ipſius verba referre atque exponere: ſin autem inventi aliqui ſint, iſtiuſmodi ingenii homines, qui ejus vel *diſputandi acumen* vel *ſcribendi ſtilum* probare poſſunt; ſiqui, inquam, ſint, qui *Notis hiſce brevibus* eum quidquam prorſus aliud demonſtraſſe credant, ac ſuam ipſius ignorantiam, temeritatem, malevolentiam; iſtiuſmodi certe hominibus ego nec ſatisfacere curo, nec mea omnino placere cupio.

Me tamen *homo facetus* deridendum [k] proponit, propterea quod *Græci Tragici* verſiculo *Romanorum hominum* conſuetudinem quandam demonſtrare eſſem aggreſſus: de *Servis ſcilicet ab iis ſtudiis atque Artibus quibus ipſi delectabantur, lege arcendis:* nonne verò *Romani etiam Poetæ* teſtimonium ad rem eandem confirmandam adjeci? idque nonne omnium recte ac dilucide diſputantium eſt, quam rem ſuſceperint probandam, eam rem primùm univerſe veram, aliarumque gentium notionibus conſentaneam, deinde apud eos homines præcipue de quibus quæſtio inſtituitur, in uſu fuiſſe oſtendere? Sed *Annotatori* hic quoque ſubſidio venit *Reſponſionis Auctor*, & *Terentium*, quo auctore uſus eſſem, ad *Atticorum ſolummodo, non ad Romanorum mores reſpicere affirmat*[l]*:* quaſi non perinde ac *in Græcia,* ita *Romæ* etiam eandem legem obtinuiſſe conſtaret; ubi *Servos* non à *cauſis modo orandis*, ſed vel a *teſtimonio dicendo* prohibitos cognovimus. Sed de objectionis hujus futilitate pluribus mox diſputabimus, cum illuc pervenerimus, ubi *Plauti* etiam in re conſimili teſtimonium *Auctorem noſtrum* rejicere cernemus.

---

[i] Not. br. p. 23.

[k] Ib. p. 24.

Dixeram autem in *Diſſertatione meâ*, *nullam per aliquot ſecula de Medicinâ, tanquam de re humili nimis atque abjecta, a Scriptoribus Romanis mentionem fieri:* atque alio loco; *Græculos eos, qui Romam ſeſe Medicinæ exercendæ causâ contuliſſent, etſi liberos quidem nonnullos fuiſſe concedamus, generatim tamen humilis ſeu potius infimæ ſortis homines fuiſſe.* Id homini ſtomachum movere video; quæritque a me, *quonam Scriptorum Veterum teſtimonio, id mihi affirmandum ſumam, idque nullo prorsùs Auctore, ſed ex propriâ ſcientiâ me poſuiſſe dicit: mihi autem fidem non habendam, quippe qui dudum mala fide egerim*[m]. Quaſi id omnino teſtimoniis egeret, quod per ſe clarum & perſpicuum eſſet; quaſi, inquam, non ſenſus communis omnes præter hunc unum docuiſſet; *de qua ſcilicet re monumenta plane omnia ſilent; nec Hiſtorici mentionem ullam faciunt, eam rem aut omnino non exſtitiſſe, aut nihil ſaltem celebratione ſeu memoria dignum ſuppeditaſſe.*

Atqui idem etiam hoc in loco *Reſponſionis Auctor* a me quærit, *quo ſcilicet argumento Medicos hoſce liberos, humilis atque abjectæ conditionis fuiſſe demonſtrem*[n]. Illud vero nonne per ſe quoque æque perſpicuum eſt? nonne id, inquam, ratio ſenſuſque communis evincunt, homines illos, qui *quæſtus victuſque quæ-*

---

[l] Reſp. p. 60. [m] Not. br. p. 25. [n] Reſp. p. 62.

rendi causâ, de patria ſua in alienam migrant, humilis ſeu infimæ potiùs ſortis maximam partem eſſe? num divites, num beati, num famâ atque opibus florentes natale ſolum exilio mutare ſolent, ut lucrum ſibi apud exteras gentes non ſine probro atque odio conficiant? num *Græci* præcipuè hoc omnino facere voluerint, qui omnium longè maximè patriam cùm ſuam amaverint, tum alienas contempſerint? etſi verò me *nullius omnino Auctoris ſententiam ne detortam quidem fictamvè ad opinionem meam confirmandam protuliſſe Annotator affirmat*[o]; nonne Plutarchi tamen [p] verbis clariſſimis oſtenderam, *totam Græcorum gentem odio & contemptui Romanis fuiſſe, ipſumque* nomen *Græcus* a plebe ſemper in ore *convitii loco* haberi & jactitari ſolere?

Sed *quid hoc ad Medicorum conditionem Reſponſionis auctor* ait, ſi *mos eſſet Romanæ plebeculæ, Græcorum gentem ita tractare*[q]*?* Tu verò cum *Medicos tuos* & *Græcos* & *Romæ* tamen *honoratos* & *ſplendidos* fuiſſe diſputas; nonne contra ſententiam tuam vim aliquam habere videtur, quòd oſtenderam, *Græcos* plane omnes, qualiſcunque fuerint Artis aut conditionis, *Romæ* non niſi in *probro & dedecore* verſari: & quam aliam ob cauſam hoc fieri putandum eſt, niſi quod id hominum genus egenum, ſordidum, eſuriens, *populus Romanus* ſemper cognoviſſet. Num cuiquam igitur præter *auctores noſtros* veriſimile videri poteſt, *Principes Græcorum Medicos*, gratiâ apud ſuos & dignitate florentes, atque *ampliſſima fortuna uſos*, *Romam* quæſtûs causâ migrare velle, ut tam iniquâ conditione viverent, ut ſibilis & contumeliis a plebe exciperentur?

Annotator autem, poſtquam in ſententia mea refutandâ tantum fruſtra laboris conſumpſerit; videt tandem atque apertè fatetur, hanc meam diſputationem non modo *dedecoris nihil*, ſed *laudem* potiùs & *gloriam Arti Medicæ* afferre, quæ *Profeſſores*

---

[o] Not. br. p. 25. [p] Diſſert. p. 9. [q] Reſp. p. 63.

ſuos ex ignobili illo ſervitutis ſtatu, ad libertatem ſæpiſſime atque honores evehere ſoleret[r]. In quo tandem uno utrique facilè conſentimus; etenim hunc ego honorem nec *Medendi Arti* invideo, nec quicquam contra diſputare aggrediar: vellem ſolummodo, hoc idem initio homo vidiſſet; nec ſibi quidem tam turpiter ſcribendi infamiam, nec mihi tam ridiculi hominis caſtigandi faſtidium peperiſſet: quippe non odium certe aut reprehenſio ulla, ſed gratiæ mihi potiùs a *Medicis* debentur, qui eam cauſam defenderim ac probarim, quam *Arti ſuæ* honorem laudemque adjungere fatentur.

Sed *ab ipſo Cicerone jamdudum*, inquit[s], *dijudicata eſt hæc controverſia, locuſque ſuus Medicinæ tributus, neque primus is quidem neque ſecundus, at medius certe*, &c. *tantum rogo ut ſententiam ipſam, non ut apud Middletonum diſcerpitur ſed integram legere dignemini*, &c. Oh hominem omnium ſane ſagaciſſimum! qui inter *Primum & Secundum, Medium* quiddam Princeps invenerit! Egonè verò *Ciceronis* locum illum diſcerpſi, qui omnia quæ ad quæſtionem noſtram pertinerent, integrè quidem ipſiſſimiſque ejus verbis protuleram? quippe cum de *Medicina ſola* hæc omnis diſputatio inſtitueretur, quid mihi cum reliquis *iis Artificiis*, a *Cicerone* enumeratis; *Coquis, Mercatoribus, Agricolis*, &c. rei eſſet planè non videbam. Ille verò poſtquam hæc omnia in *Notas ſuas breves* integra tranſtulerit; *habetis hic*, inquit, *plenam atque apertam Ciceronis ſententiam, quam filii inſtituendi gratiâ poſuit*, &c. exiſtimat forſitan *Vir bonus*, hæc ad *Filium* ideo ſcripſiſſe *Ciceronem*, ut artem aliquam ex ibi memoratis, *Medicinam* ſcilicet ſeu *Mercaturam* adoleſcens ſibi exercendam deligeret: ſed optimo, fateor, conſilio, longam hanc *Ciceronis* periodum, etſi nihil quidem ad rem ſpectantem, huc tamen integram traduxerit, ut

---

[r] Not. br. p. 26.

[s] Not. br. p. 26.

ſenſus tandem aliquis atque *Oratio pura*, quæ in reliquo ſuo opere requiruntur, in *tribus ſaltem pagellis* hiſce reperirentur.

Ciceronem autem quandoquidem is appellat, cujus quidem Auctoritate nihil mihi ſanctius eſſe poteſt, eum nobis Judicem conſtituamus: atque omiſſis iis, quæ de *cæteris*, ut dixi, *artibus*, nihil ad nos pertinentibus, hoc in loco differat; *Medicinæ* ſolummodò quem locum gradumve aſſignet unicè conſideremus: *quibus autem Artibus*, inquit Cicero, *aut prudentia major ineſt, aut non mediocris utilitas, ut Medicina, &c. hæ ſunt iis, quorum Ordini conveniunt, honeſtæ.* Hic vero quantum, *Dii boni*, eruditionis, quantum doctrinæ reconditioris *homo noſter* oſtentat? etenim *Aſconium Pedianum, Manutioſque ambos*[t], *Paullum atque Aldum* teſtes adhibet, Vocem eam, ORDO, *dignitatis alicujus* ſignificationem continere; atque ad *Senatum, Equiteſve* ad minimum, ad *plebem* vero nullo modo referri oportere: *Servorum* vero & *Libertinorum* non *Ordinem* ſed *conditionem* dici ſolere: atqui eum hac ſaltem vice felicem fateamur neceſſe eſt, quod magnorum tandem nominum auctoritate nugari ſibi contigit. Hoc autem omne quod tam erudite diſſeruit, ſi aliàs verum interdum eſſe concedamus; nonne videt tamen *Vir egregius* quàm hoc in loco non ſolum *Ciceronis* ſed *ſuæ* etiam *ipſius* ſententiæ contradicat; etenim num nobis hac ſuâ eruditione perſuadere vellet, *medendi Artem*, iis temporibus *Senatorio* ſeu *Equeſtri ſaltem Ordini* fuiſſe honeſtam? at nemo unquam tam temerarius fuit ut id diceret: neque is ipſe *ea audacia, eoque Artis amore* id quidem vel muſſitare audet; ſed aperte fatetur, nec *Primum* nec *Secundum* dignitatis gradum *ad Medicos* pertinere, ſed *Medium*, ut ſupra dixi, *neſcio quem*. Sicut autem nec *Senatorem* nec *Equitem* unquam temporibus illis *Medicinam* exercuiſſe certiſſimum eſt; ita nec *de Plebe magis aliquem* nec *Civem omnino ullum* eam attigiſſe contendo: neque illi omnes, qui hanc ſententiam impugnaverint, vel *unum* quidem *hominem Romanum*, qui *Medicinam, ante Cæſarum ætatem*, fuerit profeſſus, oſtendere unquam potuerint; quod quidem vel *Reſponſionis Auctor* fateri plane cogitur, nec *ullum ante eam ætatem de Romanis Medicum* extitiſſe concedit[u]: itaque quid nobis aliud relictum eſt hominum genus, de quo *Cicero* loqui intelligatur, cuive Vox illa, ORDINI applicetur, quàm, quem ipſe dixeram, *Servorum, Libertorum* & *Peregrinorum* Ordo?

---

[t] Not. br. p. 28.

Vides jam, opinor, non temere me ac fortuito, ſed re prius perpenſâ & conſideratâ, ad *Ciceronem interpretandum* acceſſiſſe: Vides, inquam, iſtam tuam eruditionem, etiamſi vera nonnunquam eſſet, in hac tamen causâ nec locum ullum habere, nec lucis quicquam afferre: ſed quid tandem dices, ſi *futilem, falſamque eam* prorſus eſſe oſtendero? etenim ex multis *Scriptorum Veterum* locis probare facile poſſum, Vocem mea, ORDO, apud *optimos Latinatis Auctores* nihil aliud ſignificare, ac *certum quodlibet hominum genus, communi aliqua vitæ ſorte, vel abjecta atque infima* utentium.

Conveni *hodie hominem mei loci atque Ordinis*[w].

Nonne hoc de homine ſquallido & miſerrimo à *Gnathone Paraſito* dicitur? *Ciceronem* etiam ipſum, quem nobis *judicem* conſtituiſti, hanc eandem vocem non *Senatui* modo *Equitibuſve, ſed Plebi* quoque ſæpiſſime & *Libertinis interdum ipſis*, abjectæque ſortis hominibus, *Apparitoribus & Scribis* [x] applicare memini. Item in Inſcriptione quâdam Sepulchrali mulier de marito loquens.

Qui *me ab imo Ordine ad ſummum perduxit honorem*[y].

---

[u] Reſp. p. 164. it. p. 220.

[w] Ter. Eun. 2. 2.

[x] In Piſon. 8. In Catal. 4. 8. In Verr. 1. 47. In Verr. 3. 78.

[y] Gruter. p. 353.

Homo autem *noſter*, qui *Auctorum verba diſcerpendi* atque *aliena adtexendi* crimen mihi objicit, videamus jam qualem tandem ex hoc omni *Ciceronis* loco ſententiam extorſerit. *Utique huc tandem*, inquit, *res redit*. MARCUS TULLIUS CICERO AIT, MEDICINÆ PROFESSIONEM, HONESTO CIVIUM ORDINI DECORAM ESSE; CONYERS MIDDLETON NEGAT; EAMQUE ESSE SORDIDAM, ILLIBERALEM, CIVE PRORSUS INDIGNAM AFFIRMAT: UTRI CREDITIS QUIRITES[z]:

Quis jam non ſummam *hominis* vel inſcitiam, vel temeritatem, vel utrumque potiùs admirabitur, qui hunc locum aut tam parùm intellexerit, aut tam fœdè corruperit? ille tamen, quaſi impudentia gloriaretur, hoc *ingenii ſui commentum*, tanquam *legis*, aut *Senatus Conſulti* vim obtineret, *literis majuſculis* deſcribendum curavit. At in hoc omni *Ciceronis* loco, num de *ullo omnino Civium Ordine*, nedum *honeſto aliquo*, verbum quidem unum reperitur? num *Medicinæ profeſſio*, *Romanis omnino hominibus* convenire dicitur? nihil certè minùs: nec quicquam ſanè aliud, ex verbis ipſis elici aut intelligi poteſt, ac *Artes eas humiliores*, iſti hominum generi, cui propter *vitæ ſortem* convenirent, laudem quandam & decus afferre; quod de *Servis*, *Libertis*, & *Peregrinis* prorſus accipiendum eſſe abundè demonſtravi.

Sed quoniam *Ciceronem* appellavimus; quid de verbis iſtis exiſtimandum putas, ubi is *ingenui nihil ex Officina prodire poſſè affirmat?* nonne id *Medicos* aliquo modo attingere credis, quos omnes *Officinas ſuas* habuiſſe notiſſimum eſt? de illo itidem altero, quem tu *veriſſimum eſſe* dicis, quid cogitas? ſcilicet, *Honos alit artes, omneſque incenduntur ad ſtudia gloria, jacentque ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur*[a]. Etenim ſi quod omnes plane

---

[z] Not. br. p. 29.

[a] Not. br. p. 31.

faten-

fatentur, nec honores ulli *Medendi Arti* conſtituti, nec ad ſtudium ejus promovendum *gloria ulla* ante *Cæſarum ætatem* fuerit unquam propoſita; tum, *Cicerone ipſo judice, jacuiſſe eam* ac *contemptam prorſus fuiſſe* neceſſe eſt.

Sed ad *Reſponſionis jam Auctorem* noſmet convertere neceſſe eſt, qui hunc itidem *Ciceronis* locum in librum ſuum idcirco tranſtulit, *ut me non minus*, uti ait[b], *In Ciceronis ac in Plinii ante verbis exponendis lapſum oſtendat:* in hoc autem loco interpretando, quod vix fieri poſſe credideram, *vel Annotatore ipſo* ſtultiorem ſeſe longe ac leviorem præbuit: diſputat enim *Vir Eruditus, Ciceronem* ibi de pervulgata ea *Artium partitione, in* LIBERALES *proprie ita dictas, ſeu* INGENUAS, *ut Cicero eas alibi vocat, ac* ILLIBERALES *ſeu* SORDIDAS *tractare propoſuiſſe*[c]*:* atque *hanc Artium diviſionem tam clare & aperte expoſuiſſe ut mirum profecto videatur, eam quemquam effugere potuiſſe*[d]*:* a *Sordidis* autem *Ciceronem*

---

[b] Reſp. p. 53.

[c] Ib. p. 54. it. 74.

[d] Ib. 57. ut clariùs quod diſputemus intelligatur, verba ipſa Ciceronis huc etiam apponenda duxi — Jam de Artificiis & quæſtubus, qui liberales habendi, qui ſordidi ſint, hæc fere accepimus: primum improbantur ij quæſtus, qui in odia hominum incurrunt, ut Portitorum & Fœneratorum. Illiberales autem & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ non quorum artes emuntur; eſt enim illis ipſa merces auctoramentum ſervitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod ſtatim vendant, nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur: nec vero quicquam eſt turpius vanitate. Opificeſque omnes in ſordida arte verſantur. Nec vero quidquam ingenuum poteſt habere officina. Minimeque Artes probandæ, quæ miniſtræ ſunt voluptatum; cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores, ut ait Terentius. Adde his, ſi placet, unguentarios, ſaltatores, totumque ludum talarium. HACTENUS DE SORDIDIS: JAM AD LIBERALES VENIMUS. Quibus autem Artibus aut prudentia major ineſt, aut non mediocris Utilitas quæritur, ut Medicina, ut Architectura, ut Doctrina rerum honeſtarum; hæ ſunt eis, quorum ordini conveniunt, honeſtæ. Mercatura autem, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt; ſin magna & copioſa, multa undique apportans, multiſque ſine vanitate impertiens, non eſt admodum vituperanda; atque etiam, ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius, ut ſæpe ex alto in portum, ex ipſo portu ſe in agros, poſſeſſioneſque contulerit, videtur optimo jure poſſe laudari. Omnium autem rerum, ex quibus

nem incipere, eaſque omnes percurrere dicit, uſque *ad Saltatores, totumque ludum talarium*; deinde quo res tota explicatior fieret, non *Ciceronis* ſed ſua quædam verba homo acutus interponit; [*hactenus de Sordidis, jam ad liberales venimus*] reliquaſque deinceps ibi enumeratas *liberalium* in numero *Ciceronis auctoritate* habendas affirmat; videlicet *Medicinam*; *Architecturam*; *Doctrinam rerum honeſtarum*; *Mercaturam*; *Agriculturam.*

Quis autem, ſi *Diis placet*, tam ridiculum unquam *Artium Liberalium* catalogum antea vidit? quis præter *Auctorem noſtrum* ejuſmodi illarum *Corpus quoddam* effingere potuit; de quibus ne unam quidem in *Liberalibus* unquam haberi reperimus? Artes enim iſtæ modò memoratæ, ſi in *Liberalibus* habendæ ſunt, tunc *Ars illa Agricolarum* omnium longe *liberaliſſima* eſſet, utpote omnium maxime hoc in loco laudata, liberiſque hominibus commendata: quod quidem homo noſter fatetur, *eamque ex omnibus ſpeciatim ſeu præcipue liberalem eſſe* dicit[e]. Sed tantum abfuit, ut *Agriculturam* Cicero unquam in *Artium Liberalium* numero ponendam exiſtimaret, ut eam ipſam, tanquam *ab omni politiori elegentia abhorrentem, ab Artibus ingenuis ac elegantibus* quàm longiſſime ſejungat[f].

Inſtat autem *Reſponſionis Auctor*, & *Medicinam* cum *Doctrina rerum honeſtarum* hoc in loco conjungi dicit, nec me tam temerarium fore credit, ut *doctrinam rerum honeſtarum Servis* convenire poſſe contendam[g]: at quicquid ille contra diſputet, contendam tamen, vel *eam* quoque *Servis* competere poſſe. Quid enim aliùd per *doctrinam rerum honeſtarum* intelligi poterit, ac *munus ipſum, profeſſioque res honeſtas docendi?* at harum plerumque

---

quibus aliquid acquiritur, nihil eſt Agriculturâ melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius. Cic. de Off. l. 1. 42.

[e] Reſp. p. 54.

[f] Cic. de Fin. l. 3.

[g] Reſp. p. 57.

doctores, *Rhetores* ſcilicet, *Grammaticos*, *Pædagogos*, ex *Servorum grege* fuiſſe cognovimus: quamvis enim *res ipſæ*, quas docebant, *honeſtæ & liberales* cenſebantur, docendi tamen munus Romæ ſaltem haud ullo fere in honore fuiſſe accepimus.

Ut hominis autem noſtri inſcitia clariùs appareat; loci hujus ſententiam tandem veram, ſenſumque paucis exquiramus. Atque id primum de *Artium Liberalium notione* ſciendum eſt; illas ſolummodo in earum numero a Veteribus cenſeri; non quæ *victus quærendi*, *lucrive faciendi* cauſa, ſed *animi erudiendi*, *delectandive* gratia excolebantur; atque ex quibus non *quæſtus aliquis*, *Utilitaſve ad vitam neceſſaria*, ſed *libera quædam animi oblectatio* quærebatur. Quam quidem earum veram propriamque eſſe definitionem arbitror: & quoties de *quæſtuoſis illis* aliquas, *minuſve ingenuis*, *Liberales* tamen aliquando dici reperiamus, id nonniſi *improprio vocis uſu*, *& laxiori quodam ſenſu* accipiendum, atque, uti hoc in loco, haud aliud indicare intelligendum eſt, ac ejuſmodi *Artes* a *probroſis & turpibus* diſtingui, atque iſti hominum generi, *cui conveniant*, honeſtas eſſe.

Hoc igitur loco *Ciceronem*, uti primo plane aſpectu perſpicuum eſt, de *Artibus revera & propriè liberalibus* nec verbum quidem ullum feciſſe, nec omnino cogitaſſe dico: diſſerit ſolummodo de *Artificiis* ſeu *quæſtubus* iſtis, unde *lucrum conficiebatur*, atque *aliquid adquiribatur*: *ſordidas* primum enumerat, eaſque omnes, quæ nonniſi cum probro, ac turpitudine quadam conjunctæ videntur; deinde ad *honeſtiores* progreditur; *Medicinam*, *Architecturam*, &c. quas *Ordini*, *cui conveniant*, non probrum aliquod, ſed decus potius, laudemque afferre ſignificat; & concludit denique; *omnium autem rerum* ex quibus aliquid adquiritur, *nihil eſſe Agricultura melius, uberius, dulcius, nec libero homine dignius.* Videmus jam, opinor, quo ſenſu *Agriculturam* tantopere laudet; non ut *Artem liberalem, aut ingenuam*, ſed de *quæſtuoſis iſtis* ſolummodo, ex *quibus aliquid adquiritur*, optimam & homine libero digniſſimam.

Artes autem, ut ſupra dixi, *liberales* a toto illo *genere quæſtuoſo* ſejunctas ſemper eſſe notiſſimum eſt, *eoque liberaliores* haberi, quo a *quæſtu & lucro omni* remotiores eſſent: quod quidem, cùm ex multis *ipſius Ciceronis* locis demonſtrari poteſt, tum ex eo potiſſimum, ubi ex *Pythagoræ* ſententia, vitam hominum mercatûs cujuſdam celebritati comparari ait.[h] *In quem, uti alii emendi aut vendendi quæſtu & lucro ducerentur, alii vero, iique vel maximè ingenui, nullum lucrum quærerent, ſed viſendi ſolummodo cauſa venirent, ſtudioſeque perſpicerent, quid ageretur*; ſic in vita & ſtudiis hominum accidere ſolere diſputat: nam *ut illic liberaliſſimum eſſet ſpectare nihil ſibi acquirentem; ſic in vita, ea longè ſtudia excellere, cæteriſque omnibus præſtare*, quæ nulla *quæſtus aut pecuniæ* ſpe propoſita, in rerum *cognitione & contemplatione* verſabantur. Atque hinc jam quivis facile judicabit, quanti *Rhetor noſter* ingenii fuerit; quàm in Veterum ſcriptis evolvendis diligens: quam in interpretandis acutus; quamque ad Eruditorum controverſias dijudicandas inſtructus acceſſerit; quàm denique verum vel nunc etiam illud ipſum ſit, quod *Ciceronem* alicubi indicaſſe memini; nihil ſcilicet magni aut ſolidi unquam ex *Rhetorum Officinis*, ſed *Academiæ ſolummodo ſpatiis* extitiſſe.

Sed ad *Annotatorem* tandem *noſtrum* revertamur, qui hac *ſua velitatione* quaſi defatigatus, nec in aciem ipſam ac dimicationem deſcendere auſus, receptui canere incipit, & *dimittamus jam*, inquit, *Theologum undique doctiſſimum; reliqua perſequantur* ii, *quibus otium eſt, quique fuerint diutius in Antiqui-*

---

[h] Tuſc. qu. l. 5. 3.

tatitatis cognitione verſati.[i] Quorum alterum, Præclare Annotator, Tibi facile concedam, *Antiquitatis* ſcilicet *cognitione* Te ab aliis certe quibuſvis ſuperari; alterum vero nunquam Tibi dabo; *otio* quemvis alium *plus Teipſo* abundare: qua enim in re Te tantopere occupatum exiſtimare poſſumus? num literarum ſtudiis? at *egregium hocce opuſculum tuum* nos id omnino putare vetat; Teque in bonis literis, boniſque artibus hoſpitem eſſe declarat. Num profeſſionis tuæ muniis, ægriſve obeundis? at quiſquam tam vitæ prodigus invenitur, qui Tibi ea ignorantia ſimul ac temeritate valetudinem ſuam committere audeat? Sed ſingularem hominis modeſtiam hic etiam obiter notare libet. Quippe is, *occupationibus* licet diſtentus, nec *in Antiquitatis cognitione* verſatus, mea tamen omnia, quæ *præcipua tibi viſa* ſunt, ſibi ipſi refutanda atque evertenda ſuſcepit; reliqua vero, quæ ne *minimi quidem momenti, nec refutatione digna* pronuntiat[k], iis tamen perſequenda relinquit, qui *otio abundant*, qui *rerum antiquarum ſcientia* excellunt.

Ut verò cum primis, ultima tandem conſentiant; cum nihil aliud *Notæ hæ breves* ac ſummam hominis malevolentiam, cum pari ſanè ſtultitiâ conjunctam oſtenderint; *velim autem*, inquit[l], *exiſtimet Vir Eruditus, ea quæ à me contra ejus ſententiam libere dicta ſunt; non eſſe eo animo dicta, quod aliquam in illum contumeliam jacere cuperem, ſed quia veritatem, quæ ab ipſo obſcurata quidem eſt, quantum potui patefacere ſtuderem.* Tu vero, num vel *unam* demum nobis *veritatem patefeciſti*? numvè *unam* aliquam *calumniandi occaſionem* prætermiſiſti? quippe ea, *Vir probe*, annon *contumelia* eſt; *Theologiæ Profeſſorem, Mendacem, Malevolum, Calumniatorem* ubique appellare? annon id, inquam, quàm maximè *contumelioſum*; hominem liberalitèr educatum inſimulare; quòd *falſitate alios circumvenire ſtudeat*[m]; quod de locis ex auctoribus citatis, *nonnulla audacter mutaverit*[n]; *alia malitioſe confinxerit*[o]; *aliis verba aliena adtexerit, quo fucum faceret*[p]; *quod de veritate nihil ſit ſollicitus, dummodo convitii aliquid congerat*[q]; *quod fide nullâ dignus ſit, propterea quod mala fide egerit*[r]. Quippe hujus generis omnia, ſi vera prorſus eſſent, parcius tamen objici, nec tam apertè dici ſolent; cum autem ſint falſiſſima, & tam libere tamen profundantur, non verbis ſolummodo & diſputatione caſtigari, ſed legibus pœniſque potius coerceri merentur.

---

[i] Not. br. p. 30.

[k] Ib. p. 23.

[l] Not. br. p. 31.

---

[m] Ib. 19.

[n] Ibid.

[o] Ib. 23.

[p] Ib. 18.

[q] Ib. 13.

[r] Ib. 24.

THE

EPISTLES

OF

M. T. CICERO to M. BRUTUS,

AND OF

BRUTUS to CICERO:

WITH THE

Latin Text on the oppoſite page,

AND

Engliſh Notes to each Epistle.

Together with a

PREFATORY DISSERTATION,

In which the Authority of the ſaid Epiſtles is vindicated, and all the Objections of the Rev. Mr. *Tunſtall* particularly conſidered and confuted.

THE PREFACE.

THE authority of the following letters having lately been called in queſtion by the learned *Mr. Tunſtall, Fellow of St. John's College, and Orator of the Univerſity of Cambridge* [1]; who in a Latin Epiſtle addreſſed to myſelf, has attempted to prove them to be the forgery of ſome Sophiſt, and on the merit of that proof, has rejected them as ſpurious [2]; it ſeems incumbent particularly on me, to vindicate their credit, and aſſert their real antiquity: ſince it might juſtly be reckoned a fraud in the litterary, as it is in the mercantile world, to offer any thing to the public, which we did not either believe, or could not even warrant to be genuin: and an Epiſtle indeed of that ſort addreſſed to me, muſt be interpreted by every body, as a defiance or challenge to enter the liſts with him in that cauſe; which it would be ſhamefull in me to decline, not onely as an Editor of the Epiſtles in queſtion, but as I have made great uſe of them in my *Life of Cicero*, without intimating the leaſt ſcruple, or indeed without conceiving any about them.

For I am not aſhamed to own, that I have always looked upon theſe letters, not onely as originals, but the moſt valuable of that kind, which are preſerved to us from old *Rome*; written in the very criſis and laſt ſtruggle of it's liberty, by the greateſt men who then lived in it, and who ſoon after died for it. This,

---

[1] Vid. Tunſtalli Epiſt. ad C. Middleton. 8vo Cantabrigiæ 1741.

[2] De Epiſtolis—quæ *Ciceronis* nomen falsò præferunt. ibid. p. 3.

I ſay, has been my conſtant perſuaſion; which, after all the pains, that our learned Critic has taken, I ſee not the leaſt reaſon to alter: and ſince it would be a ſenſible loſs to all the lovers of polite letters, to be deprived of a claſſical remnant of antiquity, of which they have fancied themſelves rightfully poſſeſſed; I think it my duty, as far as I am able, to free them from that apprehenſion, and to enſure to them the poſſeſſion of a treaſure, which they have ſo long enjoyed and ſo highly valued.

If it ſhould be aſked, why in a controverſy of this nature, I have choſen to give an *Engliſh* anſwer to a *Latin Epiſtle*; there were ſeveral reaſons, which determined me to prefer this method: firſt, the perpetual reference and connection, which this piece will neceſſarily have with my *Life of Cicero:* ſecondly, as it will be a proper Preface to this Engliſh Edition of the letters themſelves: and thirdly, as it will make the ſubject of our diſpute more intelligible to every body; eſpecially ſince our Critic, with his *Latin* performance, though he profeſſes, *to come freſh from the Study of Tully's Epiſtles* [1], has not had the fortune to make himſelf underſtood, and will conſequently be very little read, without the help of ſuch a comment.

In order therefore to place the whole argument in the cleareſt light, I ſhall lay before the reader, in the firſt place, a ſhort hiſtory of the Epiſtles here publiſhed; as it is delivered to us from the earlieſt tradition, to the time of our Critic's attack upon them.

It appears from the accounts of the ancients, that a collection of letters, between *Cicero* and *Brutus*, was ſubſiſting many ages after *Cicero*'s death. *Nonius Marcellus*, an old Grammarian, cites a paſſage from *the firſt*; and another, from the *eighth book* of them [2]: *Quintilian* often refers to them [3]: and *Plutarch*, as our Critic obſerves, has given us extracts from two of the principal of them [4]. This collection then conſiſted of *eight books*; all of them probably written, between the time of *Cæſar*'s and of *Cicero*'s death, concerning the memorable events of that buſy period; which included about a year and half: for the paſſage, that *Nonius* cites from *the firſt* book, is found in *the firſt* of theſe Epiſtles now remaining [5]; which ſeems to have been written about the end of the year, in which *Cæſar* was killed [6]. The correſpondence indeed between theſe two great men began ſeveral years before, when *Cicero* was Proconſul of *Cilicia* [7]; and was carried on occaſionally through all *Cæſar*'s reign; but as the letters of that interval related chiefly to private affairs, and the mutual recommendation of their friends to each other; ſo thoſe, which happened to be preſerved, were inſerted among the *Familiar Epiſtles*, where ſome of them are to be found at this day [8].

---

[1] Nam cum ab Epiſtolarum earum, quæ haud dubie *Ciceronis* ſunt, lectione recens ad has—deveniſſem. Tunſt. Epiſt. p. 193.

As the original letters then of this collection are allowed to have ſubſiſted till the time of *Plutarch*; ſo we cannot ſuppoſe them to have been wholly loſt in *Rome* and *Italy*, till the final declenſion of that Empire, and that univerſal ruin, which oppreſſed all the liberal arts, by the overbearing power of *the Goths and Vandals*. But after many centuries of *Gothic* barbariſm, whenever any men of genius or ſuperior taſt began to enquire after the monuments of the ancients, *Cicero*'s works were generally the firſt, that were ſought for in all the places, where there was any ſchool of learning, or library of books. *Petrarch*, who floriſhed about the year 1340, was the leader in this ſearch, as all the later writers teſtify of him. *He was the firſt*, ſays *Ludovicus Vives*, *who unlocked the muſty Libraries, and wiped off the duſt from the monuments of the Claſſic writers: on which account the Latin tongue is much indebted to him*; *though he was not able to attain to a purity of writing*, *or to clear himſelf intirely from the barbariſm of his age. Paullus Jovius* and others give the ſame account of him; *that he was the firſt*, *who attempted to retrieve the Latin tongue, and to raiſe up the ancient letters from their Gothic Sepulchers* [1].

---

[2] Vid. Non. Marcell. de different. dictionum in different. inter *amare* & *diligere*. it. And. Patric. in Fragment. Epiſt. ad Brut.

[3] Vid. Quintil. l. 3. c. 8. l. 8. 3, 6. l. 9. 3, 4.

[4] Vid. Tunſtall. Epiſt. p. 194.

[5] Obſervandum eſt, eum Epiſtolarum librum, qui nunc etiam extat inter impreſſos, ad *Brutum*, primum nominari a Nonio, in differentia inter *amare* & *diligere*. And. Patric. in Fragm. Epiſt. ad Brut.

[6] A. U. 709.

[7] In *Cicero*'s Epiſtles to *Atticus*, during his government of *Cilicia*, he mentions ſeveral letters, which he had received from *Brutus*. Ep. ad Att. l. 6. 1. &c.

[8] Ep. Fam. 13. 10.

He tells us himſelf, in one of his letters, what great pains he took, to recover the remains of *Cicero*; not onely in perſon and in his travels through *France* and *Germany*, but by commiſſions to his friends and correſpondents in all parts of Europe, the reſult of which was; *that he got together ſeveral duplicates of Cicero's common pieces*, *but was not able*, he ſays, *to procure any of the rare ones*, *except the two books on Glory*, (which he loſt again ſoon after by lending to a friend) *and ſome ſeparate Epiſtles and Orations* [2]. Among the reſt, we find him poſſeſſed of theſe very Epiſtles, which are the ſubject of our preſent inquiry: for in one of his letters, fancifully addreſſed to the Manes of *Cicero*, he cites two paſſages, from the two celebrated Epiſtles of *Brutus*; the one to *Cicero*, the other to *Atticus* [3].

---

[1] Vid. Doctor. teſtimonia de Petrarcha. in Edit. Oper. Fol. Baſil. 1581.

[2] Vid. Petrarch. Epiſt. l. 15. 1.

[3] Vid. Petrarch. Epiſt. ad quoſdam e Veterib. Ep. 1. p. 704.

Petrarch's example improved the taſt of his own, as well as of the ſucceding ages; and inſpired the learned with the ſame zeal of hunting out the works of the ancients, and particularly of *Cicero.* Among whom *Poggius of Florence*, in the next century, is ſaid to have brought into *Italy* the copies of ſeveral of his pieces, from *the Council of Conſtance*; and to have been the firſt diſcoverer of the intire collection *of his Epiſtles to Atticus* [4]; which, with thoſe *to his Brother Quintus*, and the few, that were then found of theſe very letters to *Brutus*, were printed together in one volume, ſoon after *Poggius*'s death, at *Venice*, by *Nicolas Jenſon*; and at *Rome* by *Sweynheim* and *Pannartz*; A. D. 1470. Which letters, as it is ſignified in an Epigram, at the end of *Jenſon*'s Edition, were very rare to be met with before the time of that impreſſion [5].

But of the *eight books* of theſe letters, which anciently ſubſiſted, no more could be retrieved by the curious of thoſe times, than *eighteen* ſcattered Epiſtles, which were publiſhed in that firſt edition; and of which ſeveral impreſſions were afterwards made in different parts of Europe: till *ſix* or *ſeven* more, rather fragments, than intire letters of the ſame collection, happened to be found many years after in *Germany*; which were printed likewiſe and added to the common editions, though ſeparated and diſtinguiſhed in moſt of them, as they continue ſtill to this day, from the *eighteen*, which were before publiſhed.

Theſe *eighteen*, from their firſt appearance in the world, either in MS. or print, have generally paſſed among the learned for *the original Epiſtles of Cicero and Brutus*. *Eraſmus* indeed ſeems to rank the letters of *Brutus*, in the ſame claſs with thoſe of *Phalaris*, as *the declamatory compoſitions* of ſome Sophiſt [2]: yet upon another occaſion, he cites the very ſame letters, without intimating the leaſt ſuſpicion of them [3]; and I do not know, that they have ever been ſuſpected by any body elſe. As to the reſt, which were found afterwards in Germany, though the novelty of the diſcovery ſurprized the Critics a while, and made them cautious of declaring any judgement upon them; yet after they had been ſpread into all hands, and conſidered at leiſure by men of taſt, they met with the ſame approbation, as the firſt eighteen; and have been cited ever ſince without any ſcruple, as the unqueſtionable remains of the great authors, to whom they are aſcribed.

---

[4] Vid. Hoffman. Lexic. de Poggio. & And. Patric. in Fragm. de Gloria.

[5] Vid. Mattaire Annal. Typograph. vol. 1.

I publiſh theſe ſix Epiſtles, ſays *Victorius*, *as I received them from the Germans: for though I have never met with them in any old MSS, yet I have no mind to impeach the fidelity of the Germans, who atteſt, that they found them in an ancient copy, nor to interpoſe my own judgement on either ſide* [4]. *Lambinus* ſays the ſame thing, but adds, *yet if any one is deſirous, to know my opinion about them, I take them to be the genuin Epiſtles of Brutus and Cicero* [5].

Sigonius, in his collection of the fragments of *Cicero*, ſpeaking of theſe ſame letters, ſays; “ I have choſen to inſert in this “ place, four letters of *Cicero* to *Brutus*, and one of *Brutus* “ to *Cicero*, which are ſaid to be found by *the Germans* in a

---

[2] Porro, quas nobis reliquit neſcio quis, *Bruti* nomine; nomine *Phalaridis*, nomine *Senecæ* & *Pauli*; quid aliud cenſeri poſſunt, quam declamatiunculæ? Epiſt. ad Beat. Rhenan. Oper. Tom. 3. par. 1. p. 554. C. Lugd. Bat. 1703.

[3] *Brutus* indignatur *Ciceroni*, qui ſuis concionibus & ſcriptis irritaret eos, quos irritatos non poſſet opprimere. Ep. ad Guilhelm. ib. p. 641. A.

[4] See Victorius's Edition of Cicero's works.

[5] See Lambinus's Edition.

" MS copy [1]; becauſe they are rejected by many, as ſpu-
" rious, nor are found in all the printed editions; and in thoſe,
" where they are found, are jumbled together confuſedly, and
" read with little or no regard—yet both the matter and time
" of them ſhew, that they ought to be placed before all the reſt
" of the Epiſtles to *Brutus*, but ſo, as to be connected with
" them [2]." And in another part of his comment, he confirms a paſſage in one of theſe letters, by a parallel expreſſion in the other *eighteen*, which, as he declares, *were unqueſtionably held to be Cicero's* [3].

Andr. Patricius alſo, who publiſhed a more compleat collection of the ſame fragments, ſoon after that of *Sigonius*, ſpeaking of *the Epiſtles found in Germany*, ſays; " there are ſome
" indeed, who deny them to be *Cicero*'s, but I attribute more
" in this caſe, to the letters themſelves, which ſpeak ſufficiently
" for themſelves, and to the authority alſo of *Manutius*, who
" affirms the ſame thing, than to any man living. Yet thoſe,
" who do not acknowledge *Cicero*'s hand in them, are but few,
" and cannot ſurely be very learned. Let theſe letters then
" be joined to the reſt, as the thing itſelf requires, and as
" *Sigonius* has ſhewn the way [4]."

This was the ſtate of *the following Epiſtles*, when our Critic thought fit to make his attack upon them. The eighteen, firſt printed, had been generally received as genuin by the Critics of all ages: the reſt were ſuſpected a while by a few, but after a due examination obtained the ſame credit with the firſt. Our

---

[1] Theſe Epiſtles found in Germany are differently divided in the common Editions into *five*, *ſix* or *ſeven*. For as five of them were found imperfect, ſo ſome of the five have been annexed to each other according to the different fancy of different Editors, as ſuppoſed to have belonged originally to the ſame letter.

[2] Vid. Sigonii. Schol. in Fragm. Cic. p. 176.

[3] Quod etiam facit in iis, quæ pro certo *Tullianæ* habentur, ibid, p. 178.

[4] Vid. And. Patricium in Fragm. Epiſt. ad Brutum.

Critic makes no diſtinction, but roundly condemns them all: and ſo far I am ready to agree with him; that if he can prove any one of them to be forged, I ſhall make very little difficulty to give up the reſt. But though I have conſidered his arguments with attention, yet they have had no other effect, but to perſuade me more ſtrongly than ever, that the letters are originals: and I can hardly doubt, but that every reader will be of the ſame mind, when we come to the examination of his particular objections.

But before we deſcend to this taſk, it will be neceſſary to diſcuſs with him a preliminary point or two, which ſeem to be of no ſmall moment towards determining the main queſtion. For if, upon his authority, we muſt believe the Epiſtles to be ſpurious, it might reaſonably be expected, that he ſhould give us ſome account *at the ſame time*, in what age, or *by whom*, they might probably be forged; concerning which he has not ventured, to offer the leaſt conjecture. That we may ſupply therefore what he has omitted, let us conſider here a little, at what time this imagined forgery could poſſibly be executed. He allows them indeed to be *ancient* [4]; yet in another place ſeems to ſuſpect, that they may perhaps *be modern* [5]; but does not pretend to ſay, either *how ancient* or *how modern* he takes them to be: and here lies the difficulty; and ſo great an one, as ſeems ſufficient of itſelf, to ſhake his whole Hypotheſis.

The original letters were extant, as we have ſeen, to the time of *Plutarch*; and could not therefore be loſt, till the purity of the Latin tongue was loſt: and as there could be no room for ſuch a forgery, as long as the genuin letters were in being, ſo it is not credible, that, in the following ages of barbariſm, a Sophiſt ſhould be found, ſo perfect a maſter of *Cicero*'s ſtile, and the pureſt taſt of writing, as to impoſe his forgeries upon the ableſt Critics, who have ever lived: or that he ſhould think of putting ſuch a cheat upon the world, at a time, when there was ſcarce a man, much leſs a ſociety of men in it, who had any particular reſpect for *Cicero*, or made any ſtudy of his writings: or when thoſe writings lay diſperſed and neglected in diſtant parts of *Europe*, that he ſhould be furniſhed with them ſo largely, as to be able to execute a work, which required an intimate knowledge and acquaintance with them all.

---

[4] Quod ſiquis horum antiquitatis monumentorum, veterum fortaſſe—amore adductus, &c. Tunſtall. Epiſt. p. 251.

[5] Hæc quidem antitheſis quiddam τῶν νεωτέρων ſapere videtur, ibid. p. 233, in notis.

